

CHRISTIANI THOMASII,  
POTENTISSIMI BORUSSIAE REGIS CONSILIARII INTIMI,  
UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE DIRECTORIS AC  
PROFESSORIS PRIMARII, ETC.

DE

*Nr. 12.*

# CRIMINE BIGAMIAE,

Vom  
Laster der zwiefachen Ehe,

ET  
DE

# BIGAMIAE PRAE- SCRIPTIO N E,

Von  
Verjährung der zwiefachen Ehe.

---

HALAE SALICAE,  
APUD JOH. CHRISTIANUM HENDELUM,  
MDCC XXXXIX.

(10)

quarum  
que per  
haestennum  
mum fecit.  
Et de argum  
memoravimus  
DE PRA  
viribus eius  
mixa in ges  
tione, et  
runt, quo  
vi igitur  
gamiae d  
esse cens  
xime.



DISPUTATIONIS  
DE  
CRIMINE BIGAMIÆ  
P R A E F A M E N.



Ostquam summaario studii mei cursu ad metam perdueto pleniora ac intimiora jurisprudentiae alibi ab iis, quibus obsequio adstrictus sum, juberer imbibere, nolui nec potui insalutato, quod ajunt, hospite hinc discedere, quin studiorum potius rationem reddere iis, quarum interest non frustra me hic delituisse, constitui, idque per discursum juridicum sub patrocinio ejus, quem haetenus Praeceptorem atque Manuductorem fidelissimum fecutus & veneratus sum, imo semper venerabor. Et de argumento quidem mihi sollicito ipse, quem modo memoravi, Praeses honorandus suppeditavit questionem DE PRÆSCRIPTIONE BIGAMIÆ. Quam dum pro viribus elaborare aggredior, ecce, quæ de crimine bigamiæ in genere præmittenda videbantur decisioni quæstionis, tot chartarum spatia præter opinionem impleverunt, quot ad disputationem videbantur sufficere. Mutavi igitur consilium, atque quæstionis de præscriptione bigamiæ definitionem peculiari dissertationi reservandam esse censui, quam, si Deus non prohibuerit, exhibeo proxime.

A 2

SUM.

## 4 DE CRIMINE BIGAMIE.

## SUMMARIA.

**B**igamie synonymum §. 1. quomodo differat a secundis nuptiis? §. 2. Secundarum nuptiarum licentia §. 3. Bigamia vel virilis vel muliebris. §. 4. Bigamie definitio §. 5. An bigamia sit crimen? §. 6. Præsupponitur distinctio legis in divinam & humanam §. 7. Conferuntur inter se subdivisiones legis divinae in moralem, ceremoniale & forensem: item in naturalem & positivam §. 8. A principio cognoscendi & objecto reali distiuisco in naturalem & positivam desumpta est §. 9. Recta ratio est principium legem naturalem cognoscendi §. 10. Objectum Legis Nat sunt actiones socialitati hominis necessario convenientes vel repugnantes §. 11. Principium cognoscendi legem positivam est promulgatio divina §. 12. Objectum legis positiva sunt actus nec repugnantes socialitati hominis nec necessario convenientes §. 13. Jus naturale est immutabile & indispesabile, jus positivum contra §. 14. Juris naturalis subdiviso, & utrum a jure gentium specie differat? §. 15. Jus positivum divinum vel datum fuit humano generi vel populo Judaico. §. 16. Illud post hominem conditum & post diluvium fuit publicatum §. 17. Ejus tria requisita, ubi de septem præceptis Noachidarum §. 18. Hoc vel ceremoniale vel forense §. 19. Conferuntur lex moralis, lex naturalis & decalogus §. 20. His præmissis proponuntur varie doctorum sententiae de questione quale crimen sit bigamia? §. 21. Afferitur bigamiam utramque & jure divino & humano esse prohibitam §. 22. neutram tamen cum jure aut equitate naturali pugnare §. 23. neque virilem §. 24. neque muliebrem §. 25. Respondeatur dissentientibus §. 26.---§. 37. Ultrage bigamia pugnat cum institutione conjugii primaeva, que legis universalis vicem obtinet §. 38.---§. 45. Dissensus Schole Schammeana & Hilleiane circa causas repudii & sensum vocum עירות דבר. §. 39. Disquiritur de opinione Schole Schammeana pro Lightfooto contra Seldanum, §. 40. Exponitur disputatio Christi cum Phariseis de licentia divorcii §. 41. Examinatur distinctio inter essentialia conjugii & accidentalia, & an persone earumque numerus ad causas internas spectent, nec ne? §. 42. Ostenditur per interpretationem doctrinalem, bigamiam pugnare cum institutione conjugii §. 43. Respondeatur ad instantias adversariorum §. 44. Idem ostenditur ex interpretatione authentica Christi §. 45. Mores gentium circa bigamiam §. 46. Prohibitiones juris Romani §. 47. Canonici, Imperialis & Saxonici §. 48. Absque dolo crimen bigamie non contrahitur §. 49. Incurrunt hoc crimen

## DE CRIMINE BIGAMIE. 5

men masculi & feminæ §. 50. Forma hujus delicti consistit in tribus §. 51.  
 (1) ut bigamus habeat conjugem superfitem, unde excluditur persona soluta eis bigamo nubat §. 52. Quid de sponso aut sponsa sentendum §. 53.  
 Quid de conjugi per divorcium aut saltum quoad thorum & mensam separata? §. 54. Quid si primum matrimonium nullum sit? §. 55. (2) ut bigamus alteri se carnaliter associet, unde bigamus non est, qui saltem sponsalia contraxit, etiamsi benedictio sacerdotalis sit secuta §. 56. (3) ut bigamus alteri se jungat tanquam conjugi, quo differt bigamia ab adulterio stricte accepto §. 57. Non tamen differt toto genere ab adulterio §. 58. Explicatur constitutio criminalis art. 121. §. 58-59. Bigamia est maius delitium adulterio stricte accepto §. 60. An bigamia sit, si quis cum alia sponsalia contraxit, eique se miscuit? §. 61. An bigamia sit, qui secundum matrimonium contraxit, quod est ipso jure nullum? §. 62. Pœna bigamie de jure divino §. 63. de jure Romano §. 64.---71. Disputantur adversus Theodosium. Exponitur l. 12. §. fin. de accus. §. 66. item l. 30. §. 1. C. de adult. §. 67. & l. 2. C. Theod. cod. tit. §. 68. Pœna bigamie Jure Canonico §. 72. Imperiali & Saxonico §. 73. Quomodo bigamia ab aliis gentibus punita sit §. 74. An dispensari possit in hoc criminis saltu quod pœnam §. 75. Conclusio §. 76.

### §. I.

**B**igamie vocem in Titulo pro Polygamia elegimus, et si communiter utrumque vocabulum synonymice usurpari soleat, non quod huic sententiæ contradicere velimus, sed quod observare nobis licuerit, JCtis, dum de crimine hoc loquuntur, magis bigamie termino, ut Theologos & Scriptores morales magis polygamie voce deleteri. Quemadmodum autem polygamia ex usu communi sub ambitu suo bigamiam amplectitur, ita bigamiam hic cum JCtis tam late supponimus, ut & consociationem cum tribus conjugibus aut pluribus denotet. Quodeo magis nobis licebit, quo minus Æchiopum hodierorum seu Abassenorum mores bigamos tolerantium, trigamos vero excommunicantium a) apud nos usurpari sueverunt, quamvis illam questionem hic non disscutiamus: utrum triga mi æquali cum bigamis pœna sint afficiendi? definiendam quippe inferius b).

A 3

a) Vid.

6 DE CRIMINE BIGAMIAE.

a) Vid. Rossai Religion der Welt. Secl. 3. p m 127. b) § 70. Vid. in: terim Menoch. de A. I. Q. casu 420. n. 98. & 101.

§. 2. Ulterius quamvis bigamia vi vocis nihil aliud sit quam binarum nuptiarum celebratio seu duplex matrimonium, adeoque si derivationem Grammaticam respicias, inter bigamiam & secundas nuptias nulla intercedat differentia, præprimis cum & ex usu juris hi termini promiscue usurpentur, a) & nomine secundarum nuptiarum omnes ex, quæ post primas contrahuntur, insigniri soleant, tertie etiam & quartæ, aut ulterius; idem tamen usus J. Ctorum hæc duo iterum distinxit, ut fere, dum secundarum nuptiarum nomen audiamus, intelligamus nuptias, defuncto conjuge iteratas b), sub bigamia vero vocabulo concipiamus adjectionem alterius conjugis superstiti conjugi factam. c). Unde non e re visum fuit, distinctionem bigamiae in simultaneam & successivam, communiter alias a Doctribus tradi solitam, prolike hic inculcare, cum ex dictis facile appareat, nos de bigamia, quæ simultanea vocatur, esse actures.

a) Argumento Rubr. extr. de bigamis non ordin. jundia Rubr. ibid. de secund. nupt. b) arg. Rubr. Cod. & extr. de secund. nupt. c) contra significationem d. rubr. X. de bigam. non ordin.

§. 3. Accedit, quod criminis terminus in titulo bigamiae appositus facile indicet, bigamiam simultaneam dissertationis argumentum fore. Nam successiva ista bigamia, etiamsi per antiquos hereticos Montanistas, Cataphrygas, Catharos aliosque oppugnata fuerit, quid, quod & ab ipsis Ecclesiæ Patribus quibusdam, Tertulliano, Ambrosio aliisque non multum commendata a); Jure divino tamen non solum permitta b) sed & hodie apud nos Protestantes etiam Clericis eadem est indulta. Quod autem antiquitus a quibusdam statutum fuit, secundis nuptiis non esse benedicendum c), non eo trahendum est, quasi easdem pro illicitis habuerint, sed quod putaverint, benedictionem semel factam iterari non debere, & personam quæ bigamo se jungat, benedictionis jam alteri semel collatæ participem fieri d).

a) Vid. Everb. Speckh. cent. 2. cl. 2. qu. 1. Joach. Hildebrand. de nupt. vet. Christian. p. m. 8. seqq. quanquam idem p. 11. seqq. sententiam patrum in

*in mitiorem partem explicit.* b) *1 Cor. VII, 39.* c) *cap. I. de se-  
cund. nupt.* d) *cap. 3. eod. Menoch. de A. J. Q. cas. 417.*

§. 4. Porro cum ad nuptias mas & sc̄emina requiratur, inde & bigamia ista simultanea secundum diversum respectum contrahentium communiter in eam, quā masculus unus plures dicit uxores, & eam, qua una sc̄emina, pluribus nubit maritis, despiciatur. Utraque hujus loci est. Priorem in posterum brevitatis studio appellabim⁹ virilem, posteriorem fœmineam & muliebrem.

§. 5. Dum haec tenus paucis in tollenda vocis ambiguitate fuimus occupati, sponte simul ex dictis nobis nascitur bigamiae definitio, quod sit *Crimen a), qua quis conjugē superflite conjugem sibi conjunctione carnis associat b).* Sed consideremus hujus definitionis membra distinctius.

a) *Vid. §. 3.* b) *vid. §. 2.*

§. 6. Et quidem criminis voce, quam generis loco posuimus, in lata significatione utimur pro quovis delicto a). Delictum autem cum sit factum contra legem; inde initio statim dispiciendum: *An bigamia cum lege & qua pugnet?* Quod eo magis discussissimum opus erit, quo minus haec controversia inter Doctores adhuc dum est composita. Sed antequam istud fiat, pauca de divisione legis per modum indicis quasi presupposuisse necessum.

a) *vid. t. 131 in fin. de V. S.*

§. 7. Ubi de illo quidem nulla lis moveretur, legem (quā definimus esse iussū imperantis subditos obligantem, ut secundum istū jussū actiones suas componant) intuitu auctoris dividi in divinam & humanam. At in subdivisione legis divinæ mirum quantum scriptores discrepant.

§. 8. Nam hic duæ potissimum distinctiones eminent, quarum una lex divina dicitur esse vel moralis vel ceremonialis vel forensis, altera eadem in naturalem & positivam despiciatur. Et inculcantur equidem divisiones istae, dum adhuc in trivie versamur, nihilo tamen minus in explicatione earundem & inter se comparatione Maximi Viri quandoque colliduntur. Quamvis enim istud constet, ceremonialem & forensem

## 8 DE CRIMINE BIGAMIAE.

sem esse leges positivas, circa moralem tamen non omnia sunt plana. Utrum ista cum naturali simpliciter converti debeat? An decalogus ubique præcepta naturalia exhibeat? An præter Decalogum nulla in SS. literis extenta præcepta moralia? & quæ sunt questio[n]es similes.

§. 9. Nos sententiam nostram brevissimis exponemus per positiones sequentes: I. *Fundamentum divisionis legis divinae in naturalem & positivam est desuntum a principio cognoscendi & objecto reali.* Utriusque enim idem est autor Deus, unde ratione efficientis causæ inter utramque legem differentia non est. Quod in tantum asserimus, ut nec in ipso Deo sanctitatem summam ab ejusdem eminenti sapientia & voluntate secernamus, aut unum horum attributorum antecedenter ad alterum ratione influxus legem naturalem aut positivam concipiendum esse opinemur. Debet enim & conceptus noster de Deo ita comparatus esse, ut in eo nulla imperfectio involvatur. At prius & posterius imperfectionem aliquam arguit & de eo quod æternum est, prædicari nequit. Porro etsi non pauci legem naturalem a positiva ratione objecti personalis etiam secernant; ut illa omnes homines obliget, hæc vero populo Judaico saltem lata sit, tamen hanc differentiam non esse adæquatam, mox a) videbimus.

a) infr. §. 16.

§. 10. II. *Principium cognoscendi legem naturalem est regula ratio.* Est enim cordibus hominum inscripta lex ista, ut & gentiles, quæ legem positivam non habent, natura faciant ea, quæ legis naturalis sunt a).

a) Rom. II. v. 14. & 15. Adde B. Scherz. System. Theol. Loc. 9 §. 12.

§. 11. III. *Objectum legis naturalis sunt actiones cum communia natura hominis rationali & sociali necessario convenientes aut eidem repugnantes.* Priora præcipiuntur a lege naturali, posteriores prohibentur. Cum enim jus naturæ, ut omnis lex, sit hanc hominis essentia ac rationi non posse adversari. At natura hominis rationalis simul & socialis est, id quod de statu post lapsum forte non est dubium, cum rationem humanam ne

quidem

quidem sine societate, tantum abest, ut absque socialitate illam concipere valeam. Sed & in statu integratis socialitatem inculcat sapientissimus Creator; non esse bonum hominem esse solum <sup>a)</sup>, haud dubie non solum ad naturam hominis animalem, quam cum bestiis communem habet, sed vel maxime ad rationalem respiciens. Ut igitur ad omnem legem requiritur, utne cum hac socialitate pugnet, ita in specie lex naturæ, quoniam ex dictamine rectæ rationis cognosci debet, non circa quasvis actiones, socialitati non adversas, utpote quæ infinitæ sunt, versatur, sed circa istas saltem, quæ necessariam quandam convenientiam aut repugnantiam cum natura hominis rationali habent. Ejusmodi enim actiones ratio hominis etiam contra promulgationem sibi præceptas a Deo aut veritas intelligit, cum Deus, sive eum tanquam sapientissimum sive tanquam sanctissimum aut justissimum concipias, non possit non illa media, quæ necessario naturam hominis rationalem ac socialem conservant, jubere, & quæ eandem destruunt, homini interdicere. Si enim secus foret, vellet hominem esse insociabilem, si insociabilem vellet, vellet simul esse irrationale: at homo irrationalis contradic̄tio est & non ens. Voco autem convenientiam necessariam eam natura hominis sociali, quoties actionis omissione humano generi indulta socialitatem ita turbat, ut per necessariam consequentiam inde oriatur bellum omnium contra omnes; uti repugnantiam, quoties actionis licentia idem monstrum producit.

<sup>a)</sup> Genes. II, 18. vid. ibi Pererius.

§. 12. IV. Principium cognoscendi legem positivam est promulgatio divina <sup>a)</sup>. Non cognovissem, inquit Apostolus <sup>b)</sup> rationi meæ relictus, concupiscentiam esse peccatum, nisi lex divina positiva, dixisset, non concupisces. Hic tamen probe notandum venit, etsi sine promulgatione divina hæc lex notitiam hominis effugiat, id tamen valere saltem quod primam originem. At propagatio ejusdem & extensio per traditionem humanam aut consortium ac conservationem etiam ad illos procedere potuit, qui promulgationem divinam vel non agnoscunt, vel quibus etiam lex positiva plane non fuit lata. Et hoc quidem eo accuratius

B

obser-

10 DE CRIMINE BIGAMIAE.

observari debet, quo s̄epius scriptores in ostendendo: aliquid iure naturali prohibitum esse momentum non minimum in consensu gentilium ponere solent. Ut vero per consensum ejusmodi solum neque injustitia actionis neque justitia demonstari potest c), sic in specie, quod jus naturae concernit, non potest inferri: Gentiles hunc actum pro nefario judicant, ergo idem lege naturali prohibitus est. Gentiles enim isti, qui in subsidium vocari solent aut Græci sunt, aut Romani. At Romani leges suas a Græcis acceperunt, d) Græcorum vero Philosophi, uti multa a Moſe mutuati sunt e); ita legislator eorum Solon ex Ægypto multas leges Athenas transportavit f). Ægyptii autem rudimenta suarum legum acceperunt ab Hebræis g). Facit huc Licinii Kuffini collatio legum Judaicarum & Romanarum, in qua legum Gajii, Ulpiani, Pauli, &c. & constitutionum Imperatorum Gentilium harmonia potissimum cum jure Mosaico forensi, quod haud dubie positivum est, instituitur.

a) Conf. Dn. Oſiandr. ad Grot. l. 1. 15 obs 1. p. 241. b) Rom VII, 7. ubi de concupiscentia agitur, cuius cōcupiſcē ex lege nature cognosci nequit, verba B. Schertz. System. Theol. Loc. 7. § 9. p. 54. lii. B. c) per ea que babet Magnif. Ziegler. ad Grot. proleg. n. 40. d) l. 2. §. 4. de O. J. e) vid. Horn. Histor. Philos. lib. 3. cap. 1. p. 138. Clem. Alex. passim, in primis lib. 1. 2. Strom. Alsted. Thef. Chronol. cap. 49 & 50. f) Alsted. d. l. cap. 45. p. m. 457. g) Alsted. d. c. 45. p. 455.

§. 13. V. Objectum legis positiva sunt actiones naturae hominis rationali & sociali neque repugnantes, neque necessario convenientes. Consistunt igitur quasi in medio, ita ut, sive omittantur, sive committantur, neutro modo socialitas humana turbetur, aut belli omnium in omnes detur occasio, unde etiam ratio sibi relicta non poterit argumentatione quadam assequi, utrum ex duabus actibus ejusmodi contradictoriis, an forte neutrum Deus hominibus præcipere aut vetare voluerit. Solet autem alias distinctio ista legis utriusque divinitat̄ ab objecto de sumpta a Scholasticis communiter ita efferi: Objectum juris naturalis esse actus per se ac sua natura & antecedenter ad voluntatem divinam honestos vel turpes, juris positivi vero actiones indifferentes; item: obligationem in jure naturali ex ob jecto

jecto diffundi in præceptum, in jure positivo contra ex præcep-  
to tendere ad objectum a). Quarum locutionum, si is est sen-  
sus, quem hæc tenus exposuimus, re ipsa iidem nobiscum con-  
veniunt. A terminis tamen ipsis abstinere malum, tum ob-  
rationem superius expositam b), tum quod actus turpes illos es-  
se opinemur, qui sunt contra voluntatem legislatoris c), tum  
quod obligationem veram sine voluntate legislatoris non con-  
cipi posse putemus, tum denique, quod omnes actus sua natu-  
ra, hoc est, abstrahendo a circumstantiis moralibus d), indiffe-  
rentes statuamus.

a) Conf. que habet Grot. de J. B. & P. l. i. c. i. §. 15. & ibi Dn. Ofiand. obs.  
i. p. 240. seq. b) §. 9. adde Dn. Kulpif. Colleg Grot. disp. i. ad cap. t.  
tb. 6. c) consentit Apostolus peccatum per devolutas definiens. d) unde  
frustra objicitur blasphemia, adulterium, furium, quoniam haec no-  
mina notant actiones conjunctas cum circumstantiis moralibus. Actio-  
nes autem Physice & in sua natura consideratae sunt in blasphemia elo-  
cutio verborum blasphemorum, in adulterio conjunctio maris & fæminea,  
infurio extensio manus ad rem, quas indifferentes esse nemo negaverit.

§. 14. VI. Jus naturale nec mutari potest nec dispensari,  
et jus positiuum & mutationem & dispensationem recipit, sed saltem  
a Deo a). Fluit haec differentia ex duabus istis, quas hæc tenus  
exposuimus. Intelligimus vero per dispensationem cum uni-  
animi Theologorum & JCtorum Schola ejusmodi actum legis-  
latoris quo declaratur, actionem subditi, ratione cuius dispen-  
satur spectare quidem ad mentem & sententiam legis, sed certa  
de causa tamen a legis efficacia debere eximi. Unde qui statu-  
unt, dispensabilem esse naturæ legem, dispensationem autem  
definiunt, quod per eam declarat legislator actionem inferioris  
sub mente legis non comprehendendi, saltem in terminis ludunt,  
confundentes videlicet dispensationem cum interpretatione  
restrictiva. Quamvis autem lex positiva & mutationi & di-  
spensationi subjaceat, propterea tamen voluntas divina non est  
mutabilis, sed cum in Deo omnia ejus attributa sint æternæ, item  
quoque ab æterno hanc mutationem aut dispensationem, quo-  
niam ab æterno præscivit causas mutationis aut dispensationis  
exituras esse decrevit.

a) B. Scherz, D. Loc. g. §. 9. p. 266.

§. 15. VII. *Jus naturale omnes homines obligat, nec facile divisionem recipit, nisi id forte in naturale in specie sic dictum & Gentium jus distinguere velis.* Prius fluit iterum ex positione tertia, quia omnes homines rationales sunt & sociales. Posterius quod attinet, malumus jus Gentium speciem juris divini naturalis constituere, securi hac parte, ut s<sup>e</sup>pius alias, illustrem Pufendorfum a), quam cum Grotio b) & qui hac assertionem latius propugnavit, alio viro celeberrimo c) istud ad jus positum & quidem humanum referre. Quemadmodum enim uterque horum jus gentium, qua facultatem denotat, aut mores variarum gentium, cum lege gentium quae proprie hujus loci est, miscet, ita in specie vir ille Celeberrimus, qui non solum suam sententiam confirmare, sed & simul Dn. Pufendorffii & nostram opinionem destruere nititur, potissimum duabus hypothesibus dissertationem suam superstruxit, quarum prior est; *Jus gentium non esse proditum istius modi legibus que a superiore sunt condita sed lege pacti d).* Posteriori vero; *Causam remotam obligationis in utrisque generis legibus esse jus naturae; ac causam proximam in legibus arbitrii stricte dictis esse voluntatem superioris in legibus pacti esse voluntatem contrahentium e).* Quodsi vero cum ipsius pace sententiam nostram proferre liceat, utique huic hypothesi non pauca opponi posse videntur; priori quidem, quia de lege superioris Dn. Pufendorffio sermo est, & ex communi etiam Doctorum sententia lex & pactum toto cœlo differunt; ita ut sine superioritate & subjectione lex non possit concipi f), uti pactum sine parietate. Posteriorem quod attinet, negamus voluntatem contrahentium esse causam proximam obligationis in pacto. Ut enim obligatio sine superiore non potest definiri, ita voluntas contrahentium, qui semper ut pares considerantur, non potest per se obligationem producere, (at hic de tali causa proxima querimus, quae sit causa per se, ut voluntas principis respectu legis civilis) sed est saltēm obligationis causa per accidens physica, non aliter ac is, qui valvas fenestrarum removet, ut lumen solis hypocaustum intrare possit, illuminationis causa per accidens existit. Denique nec in eo sibi constare videretur Vir Celeberrimus, dum jus commune gentium, quo complures

res aut forte pleræque gentes saltem moratores pro jure utuntur <sup>g)</sup>, quodque pactis tacitis <sup>b)</sup>, hoc est, ut postea <sup>i)</sup> se explicat, per imitationem & continuatum inter gentes usum, dicit esse introductum, comparat cum jure non scripto <sup>k)</sup>. Nam statim <sup>l)</sup> addit: *De natura hujus non scripti juris gentium forte constabit, ubi inquisiverimus, quomodo in genere jus non scriptum obligandi autoritatem consequatur.* Et postea <sup>m)</sup> recte quidem notat: *Etsi ad consuetudinem jus requiri soleat actuum frequentia, non tamen subditos aliquid ad ipsam juris autoritatem conferre, sed materiam saltem legislatori præbere, ut, si ei ita visum fuerit, formam ac vim juris ei tribuere possit, adeoque opus esse, ut ille sciverit, tale quid in sua civitate facitari, deinde ut non contradixerit, sed permiserit id fieri, denique ut ita permiserit, ut consensa tacito videatur approbasse; absque hoc enim tertio si fuerit, forte meram permissionem existimari posse aut conniveniam, non jus.* Ex quibus jure contra ipsum inferri posse videtur, jus gentium istud commune, qua usu & imitatione introductum est, jus non scriptum haud esse, cum inter gentes nullus sit superior, qui autoritatem juris non scripti isti usui conferere queat. Quod si forte ad Deum recurrere velit, quasi hic scientia sua & tacita approbatione usui gentium vim juris dederit, illud eidem objicimus, hoc pacto jus gentium ad jus divinum esse referendum, non vero ad humanum voluntarium. Nec adeo cum præcedentibus cohærent ista, dum alibi <sup>n)</sup> statuit; *Jus gentium commune plures gentes a paucis per imitationem videri accepisse & ex tacito pacto per continuatum sive propagatum inter eas usum etiam autoritatem juris & obligationis inter illas obtinuisse.* Ut taceam imitationem solam nec pactum tacitum nec obligationem inferre. Quis enim affereret, eum, qui v. gr. aliquoties vicinum in extructione & ornatione ædium imitatus est, obligatum esse, ut perpetuo idem faciat, aut populum, qui multis annis vestitum populorum imitatus est, non posse propter ortam inde obligationem ab ista imitatione recedere? Aliud sane ostendit communis regula, quæ docet, res mercæ facultatis non præscribi, quam eleganter declarat summus Grotius <sup>o)</sup>, qui & exemplum de vicino, qui per plures annos societatem cum uno saltem vicino habuerat, adducit. Nobis itaque jus gentium sunt præcepta juris naturalis, quæ respiciunt

officia gentium, qua sunt gentes p), per jus naturale vero in specie sic dictum innuimus præcepta dirigentia societatem civilem & reliquas societas in civili comprehensas.

- a) de J. N. & G. lib. 2. c. 3. §. 22. (Edit. Nov. §. 23.) b) de J. B. & P.  
l. 1. c. 1. §. 14. c) peculiari dissertatione de jure Gentium. d) dicta  
dissert. §. 91. e) ibid. §. 92. f) Thomas secunda secunda qu. 16.  
art. 1. Præcepta legis presupponunt subjectionem cuiuslibet recipientis le-  
gem ad eum qui dat legem. g) ita ipse definit. §. 23. h) §. 24. in fin.  
i) §. 31. init. k) §. 25. in fin. l) d. §. 25. in fin. m) §. 28. n) §. 31.  
o) de J. B. lib. 2. c. 4. §. ult. p) vid. B. Jac. Thomasi disp. de Legato  
inviolab. §. 65 seqq. & potissimum §. 81 seqq.

§. 16. VIII. *Jus positivum vel datum fuit toti humano ge-*  
*neri vel uno Iudaico.* Priorus, quod scism, hujus distinctionis  
autor est Grotius a). Ac de posteriori quidem specie nullum  
est dubium. At quod priorem attinet, videtur ea communis  
Scholasticorum, ac qui hos fecuti sunt, quorundam Theolo-  
gorum opinioni esse contraria. Postquam enim statuerant,  
legem divinam in moralem, ceremonialem & forensem dispe-  
scendam esse, & moralem cum naturali converti asseruerant,  
ceremonialem contra & forensem, quas soli populo iudaico la-  
tes esse constat, leges positivas esse dixerant, nullus relinqueba-  
tur locus juri positivo, quod universum genus humanum strin-  
geret. Unde & Dn. Osiander b) speciem hanc impugnat, quem  
sequitur Velthem c). Contra dari ejusmodi jus se probaturum  
promittit Clarissimus Kulpisius d), cuius eruditum tractatum  
dum expectamus, nulli dubitamus, illius existentiam interim  
defendere, præprimis cum non solum scriptura sacra e) illud  
nobis persuadeat, sed & ex JCTis nobis consentientem habeat  
magnificum Zieglerum f) ac ex Theologis, quem unum  
instar omnium nominasse sufficiat, B. Scherzerum g). Distin-  
ctionis gratia vocabimus hoc *jus divinum positivum universale cum*  
*Henniges b).* Nam quemadmodum terminus *juris naturalis se-*  
*cundarii* non sine causa displicet B. Scherzero i), & qui ab hoc sub-  
stituitur titulus *juris moralis positivi*, non ad palatum Dn. Kulpisii k)  
est; ita malum positivi vocem adhibere, quam cum Dn. Kul-  
pisio Grotium secuto vocabulum *juris voluntarii universalis*. Ra-  
tionem superius l) exposuimus. a) de

a) de J. B. l. i. c. 1. §. 15. b) ad d. l. Grotii observ. 1. p. m. 242. e) In-  
trod. ad Grot. l. i. c. 1. §. 29. not. 3. seqq. p. 70. seqq. d) Colleg. Gros.  
ad lib. 2. c. 5. tb. 5. lit. r. e) Genes. II, 17. III, 16. IX, 4. & 6. Levit.  
XVIII, 24. f) ad Grot. II. 5. 9. p. 272. g) d. loco 9. §. 9. p. 266.  
b) ad Grot. proleg. p. m. 4. i) d. l. k) d. t. l) §. 15.

§. 17. IX. *Jus positivum universale duabus vicibus tantum,*  
*primo post hominem conditum & secundo in reparacione humani ge-*  
*neris post diluvium datum est a).* Addit quidem Grotius b) tem-  
pus tertium in sublimiori reparacione per Christum, sed hunc  
errorem, quem cum Socinianis & aliis errat, nos rejicimus c).

a) verba sunt Magnif. Dn. Alberti in colleg. Grotiano MSC. hb. 1. c. 1. §. 20.  
b) d. l. c. 1. §. 15. c) vid. interim. Dn. Osiander. d. obs. 1. p. 242. seqq.  
Velthem. d. l. p. 75. seqq.

§. 18. X. *Tria vero ponimus legis hujus requisita:* (1) us-  
criptura doceat actum aliquem veteri aut præcipi, (2) istud præcep-  
tum toti humano generi esse latum, (3) ut ista lex non possit ex con-  
venientia aut inconvenientia cum natura hominis rationali & socia-  
li deduci. Primum requisitum fluit ex positione quarta a), se-  
cundum ex octava & nona b), tertium ex quinta c). Contra  
primum impingit iterum Grotius. Hic enim pro more nimi-  
um traditioni Rabbinorum sisus saltē ad septem præcepta  
Noachidarum de cavenda idolatria, de cultu Dei, de effusio-  
ne sanguinis, de non revelanda turpitudine, de rapina, de judi-  
ciis & de membro animalis vivi non comedendo provocat d)  
quorum priora sex Adamo data, septimum Noacho fuisse super-  
additum Judæi docent, eademque ex mente Hebræorum do-  
ctissime exposuit honos Britannæ Seldenus e). Nos quemad-  
modum traditioni Judaicæ non nimirum dandum esse cense-  
mus, ita nec tamen alterum extrellum nobis placet eorum, qui  
cœco odio Rabbinorum doctrinam prosequuntur, rejicientes  
videlicet omnia, quæ ab ipsis inculcantur. Adeoque licet ad-  
versus ista Noachidarum præcepta disputent Osiander f) Va-  
lentinus Velthem g) aliquie b), nos tamen medium sententiam  
eligentes illa non simpliciter rejicienda censemus, sed quatenus  
ijs positivum universale in iis continuaeri debet, ad trutinam  
scripturarum sacrae ut & non minus ad reliqua, quæ posuimus re-  
quiſitum.

quisita illa esse examinanda arbitramur. Porro quamvis dixerimus, leges ejusmodi universales saltem Adamo aut Noacho fuisse datas, non tamen illæ solum in Genesi, quæ historiam Adami & Noachi continet, querendæ sunt, sed & ex aliis veteris Testamenti aut Novi libris erui possunt. Sic, ut uno saltem exemplo mentem meam declarem, leges, quæ Levit. c. XVIII. recensentur, etiamsi in Genesi earum non fiat mentio, Adamo tamen aut Noacho fuisse datas exinde infero, quod & gentiles contra easdem peccasse dicantur <sup>i).</sup> Spectare autem ibi recentitas leges ad ius non naturale, sed positivum universale, non solum ex convenientia trium, quæ posuimus, requisitorum patet, sed & autoritas iterum B. Scherzeri <sup>k)</sup> nos in hac doctrina confirmat.

<sup>a) § 12. b) § 16. & 17. c) § 13. d) d. l. 1. c. 1. § 16. & l. 2. c. 5. §. 13. sec. 5. e) tractatu integro de jure Nat. & Gent. secundum disciplinam Hebreorum. f) obs. 3. ad th. 16. l. 1. c. 1. Grotii p. 260 seqq. g) introd. ad Grot. l. 1. c. 1. §. 29. not. 3 seq. p. 70 seq. h) conf. Job. Hoornbecks lib. 7. contra Judeos cap. 1. p. 448. i) d. Levit XVIII, 24. 27. 28. k) System. Theol. loc. 27. § 6. p. 769 seqq.</sup>

§. 19. / Jus positivum divinum, populo Judaico latum, vel spectat cultum divinum, vel utilitatem populi Judaici. Illud ceremoniale, hoc forense appellari consuevit.

§. 20. Ex dictis jam facile responderi potest ad controversias supra <sup>a)</sup> propositas. Ad primam quidem: legem moralem & naturalem non converti inter se, sed moralem esse latiorem & sub se comprehendere legem positivam universalem <sup>b)</sup>. Ad secundam: decalogum non ubique continere præcepta naturalia <sup>c)</sup>. Ad tertiam denique: Extare omnino & extra Decalogum præcepta moralia, ut sunt v. gr. prohibitio graduum in Levitico &c.

<sup>a) §. 8. b) conf. iterum B. Scherz. loc. 9. §. 9 p. 266. c) vid. supra §. 12.</sup>

§. 21. Hæc omnia, quæ hactenus exposuimus, præmittenda fuerunt, ut ad quæstionem de bigamia, utrum crimen sit & quale? <sup>a)</sup> eo accuratius sententiam nostram dicere possimus. Ubi quidem, quantum cognoscere nobis licuit, neminem facile reperies, qui polygamiam fœmineam jure naturali prohibita

tam

tam esse neget, cum & ipsi polygamiæ virilis defensores hoc extra dubium ponant b). At quod polygamiam virilem concer-  
nit, varias easque contrarias scriptorum sententias numerabis.  
Communiter crimen esse afferitur, nisi paucos quosdam homi-  
nes fanaticos, eam jure naturali præceptam esse afferentes, ex-  
cipere velis, puta, Sincerum Warenbergium, Theophilum Ale-  
theum, Athanasium Vincentium & qui forte sub triplici hac lar-  
va latere voluit, Johannem Lyserum; sed illorum tamen alii  
bigamiam virilem 1. jure naturali prohibere ajunt c): Alii non  
quidem contra jus naturale esse, esse tamen 2. contra æquitatem  
naturalem ac rationi rectæ adversari statuunt d): rursus alii  
3. polygamiam esse contra institutionem conjugii primævam  
ajunt, hoc est, eandem repugnare legi divinæ positivæ univer-  
sali e). Pugnare eandem 4. non quidem cum jure veteris te-  
stamenti, sed cum lege Christi seu novi testamenti & Socinia-  
nizans Grotius f), & ex J. C. nostratis nonnulli g) defen-  
dunt; quorum etiam unus & alter magni nominis & autorita-  
tis b) polygamiam hanc 5. jure divino plane non esse prohibi-  
tam, sed humano saltem interdici arbitrantur.

a) vid super §. 6. b) unde Athanasius Vincentius in *Polygamia Trium-*  
*pharice not. ad tb. 1. Theoph. Aletbei p. 1. dicit, muliebrem polygamiam*  
*Deo, naturæ, sanæ rationi, omnibus gentibus legibusque divinis & hu-*  
*manis esse exosam ac damnatam. c) ut Felde ad Grot. l. 2. c. 5. p.*  
*m 170. Feltman, in colloq. German. de Polygamia. d) ut Ostander.*  
*ad Grot. l. 2. c. 5 § 9 obs 3 p 744 746. & 750. e) ut Dn. Ostander.*  
*d l p. 746 & 750. Dn Ziegel d p. 272. f) d. l. 2. c. 5. §. 9. conf. Dn.*  
*Zugl. d. l. & B. Scherzerum System. Theol loc. 27 p. 811. g) ut Hahn.*  
*ad Wesenb. de Ritu Nupt. n. 4. Mævius prodr. Jurispr. Gent. communis*  
*Insp. 1. § 16 p 32. adde Henniges ad Grot. p. 465 467. 469. h) ut*  
*Dn. Siruv. Ex. 29 ad Pand. tb 52. & aliis quidam vir Magnif. annot.*  
*ad Instit. de Nuptiis p m. 72. seqq.*

§. 22. Nos salva reverentia tantis viris debita senten-  
tiam nostram sequentibus conclusionibus efferemus. I. Biga-  
mia utraque (& virilis & muliebris) jure divino pariter atque hu-  
mano est prohibita a). Si quis dixerit, verba sunt Concilii Tridentini b), licet Christianis plures simul habere uxores & hoc nulla lege divina  
esse prohibitum, anathema sit. Etsi vero concilium istud vim pro-  
bandi

bandi apud nos non habeat, veritatem tamen hujus conclusio-  
nis priuæ docebunt §§. sequentes.

a) ita dissentimus ab opin. 5. §. 21. b) Session. 24. de matrimon. can. 2.

§. 23. II. Bigamia uiraque nec cum jure naturali a) nec  
cum æquitate naturali aut ratione recta pugnat b). Quamvis enim  
sententia secunda inter jus naturale & æquitatem naturalem ac  
rectam rationem distinguebat, tamen cum supra c) dixerimus,  
rationem naturalem esse principium cognoscendi jus naturæ, &  
præterea æquitas naturalis & jus naturæ etiam non differant, non  
possumus de illa distinctione magnifice sentire, ut nec de ista,  
quæ ad explicationem prioris adducitur d). Jus naturæ vel no-  
tare id, quod per modum principii recta ratio dicitat, ita ut obliget necessario  
& semper; vel accipi late pro eo, quod recta ratio concludit ex principiis ju-  
ris naturæ, & vel directe vel proxime vel remote ex illis deducit. Priori  
modo non esse contra jus naturæ polygamiam posteriori autem modo admitti  
posse, pugnare eam cum jure naturali, sed in talibus non esse absurdum dicere  
Decum posse dispensare, aliud esse: Juris naturæ; aliud congruum esse illi.  
Quemadmodum enim hæ distinctiones parum sibi constant, &  
valde obscuræ sunt, ita non video, quomodo principium ne-  
cessarium possit producere conclusiones contingentes, seu, quo-  
in modo ex jure naturæ indispensabili possit fluere jus naturæ di-  
spensabile, cum tamen vel ex doctrina logicorum pateat, con-  
clusionem, modo ea vere cohæreat cum medio termino, hanc  
sequi. Accedit, quod multis iisque infinitis tricis locus sit, &  
fere nullus conceptus ex jure naturæ rite formari possit, si ad-  
mittamus jus naturæ dispensabile, quod ulterius expendere  
nostræ non est instituti. Res fere patet ex iis, quæ diximus  
supra e).

a) que erat opinio 1. §. 21. b) quod volebat opin. 2. §. 21. c) §. 10.  
d) vid. Dn. Ofiand. d. l. p. 751. e) §. 11. & 14.

§ 24. Probamus autem bigamiam virilem non esse  
contra jus naturæ a priori, quia per eam non turbatur socialitas  
hominis neque eadem cum finibus societatis conjugalis directe  
pugnat, cum a posteriori quia Deus in Veteri Testamento Poly-  
gamiam populo Judaico vel certe Patribus dispensando permi-  
xit a), quin imo inter beneficia Davidi præstata recensuit b), quod  
ipsi plures uxores dederit. Est vero sanctitati divinæ id adver-  
sum,

sum, inter beneficia referre, quod essentiam hominis turbat ac jure naturali prohibitum est.

a) Deut. 21. v. 15. Dn. Ofiand. d. p. 751. b) 2 Sam. 12. Dn. Ofiand. ib. p. 747.

§. 25. Sed quomodo conclusionem nostram quoad bigamiam muliebrem defendemus? Obstat sane unanimis Doctorum sententia. Esto, non obstat tamen dictatum naturale, non obstant, quæ pro confirmanda hac opinione communi afferuntur rationes, scilicet pugnare hanc bigamiam 1. cum procreatione sobolis, 2. mutuo adjutorio, 3. imperio maritali, 4. intendi per eam solam libidinis expletionem, 5. Deum nunquam admississe ejusmodi bigamiam. Nam quid singulæ hæ rationes habeant in recessu, videbitus.

§. 26. Ubi quidem 1. libenter concedimus, procreationem sobolis esse finem primarium conjugii, adeoque si per hanc bigamiam finis iste turbaretur, eam juri naturali adversari. Sed hoc quomodo probatur? Non, inquiunt a), mulier pluribus viris nubere potest sobolis procreanda causa, sed unus huic actui quotannis sufficit. Vir autem secundam mulierem liberorum habendorum causa prime superinducit. Quid dum postea? concludi saltem ex dictis potest, polygamiam muliebrem non tantam afferre utilitatem generi humano, quanta ei accedit per polygamiam virilem. Unde quemadmodum non inferre possum: Vir bigamus intendit multiplicationem sobolis, ergo polygamia virilis est jure naturali præcepta; ita nec vice versa valet argumentatio: Mulier, pluribus viris nubens, non intendit multiplicationem istam, ergo facit aliquid legi naturali adversum. Esto: Sufficit unus vir quotannis procreandæ soboli; Nobis sufficit, si plures viri procreationem non turbent. Etimo non semper sufficiet vir quotannis. Quid si enim prioris viri semen sit, non dicam sterile, sed minus secundum, fœmina vero citioris conceptionis gratia alium superinducat? quid si unus vir non abundet fœminæ, ita ut fœmina quotannis ex eo non nisi, unum fœtum concipiat, intendat autem per bigamiam, ex congressu plurium, plurium fœtuum conceptionem, quorum sane ipsa non est incapax b).

a) Vid. Henn. ad Grot. II. 5. §. 8 p. 465. b) l. 36 ff. de Solut. l. 30. §. 6.  
de acquir. hered. l. 3. in fin. si pars hered. petatur.

§. 27. Ast, inquiunt Doctores & hæc intentio est contra

tra naturam, & foemina tantum abest, ut ex ejusmodi bigamia plurium foetuum mater evadat, ut potius impediatur generatio ex plurium virorum commixtione; aut enim nunquam eandem, aut rarius subsecuturam esse, idque in meretricibus testari experientiam *a*), ad quæ tamen facilis est responsio. Petitur enim hac assertione quod est in principio, ac videntur Scholastici statuisse; per congressum cum pluribus semina diversæ naturæ misceri, & unum ab altero corrupti, cum tamen ex doctrina Medicorum constet, quod vel uterus mulieris post conceptionem tam arcte comprimitur, ut ne specilli quidem tenissimi mucronem admittat *b*), quo pacto non est, quod timeamus corruptionem concepti seminis, vel quandoque, si foemina summa voluptate irretita aliud quoddam semen in uterum post primam conceptionem admittat, tantum abesse, ut per id foetus prius conceptus perdatur, ut potius utrumque semen in utero sustentetur, ac diverso tempore pro diversitate nempe duplicitis conceptionis, quem superfœtationem vocant, per partum legitime extrudatur *c*), quo pacto iterum per bigamiam foemineam generatio sobolis promovebitur potius, quam impeditur, præprimis cum Medici non negent superfœtationem etiam ab alio quam priore marito fieri posse *d*).

*a) Vid. Sanchez. de matrimon. lib. 7. Disp. 80. n. 4. b) Vid. Paul Zachie Questiones medico legales lib. 1. tit. 3. qu. 3. n. 2. seqq. c) Vid. Zach. d. l. quest. 3. & 4 per intergr. d) Zach. d. qu. 3. init. verb. qui superfœtatus post ejus obitum fortasse sit.*

§. 28. Quod experientiam concernit, quasi nempe meretrices vel nunquam vel raro soleant parere, responderi potest, in ea committi fallaciam non cause ut cause, id enim non inde fieri, quod cum pluribus una rem habeant, sed vel quod concubant cum pluribus (nam & hic obtinere regulam: *ne quid nimis*) vel potius, quod pociulis abortivis aut sterilitatis vel aliis nequitiis conceptionem impedian.

§. 19. Sed pergit Sanchez *a*): *incerta tamen erit proles?* Quid inde? Turbatur, inquiunt, & hoc pacto finis conjugii primarius; nam regularis & naturalis matrimonii finis est certam fibi & suam prolem querere *b*). Concedo, si per regularē finem intelligatur is, qui communiter a gentibus solet intendi, nego; autem,

si ta-

Si talis intelligatur, qui ex primis juris naturalis principiis possit demonstrari, cum per incertitudinem proliis nec utilitas civitatis nec hominis socialitas aut pax communis turbetur, nec alia ratio sufficiens, cur præcise a lege naturæ certitudo requiratur, offerri possit. Accedit, quod & hæc ex incertitudine orta inconvenientia variis modis possit excludi; vel enim mariti natos ex ejusmodi bigamia filios ut omnium communes pari completi amore possent ac nutrire, quod in simili Tabrobanensibus tribuit Diodorus Siculus *c*): vel eorum haberi possent liberi, a quibus eorum matres virgines primum ductæ fuerint, ut de antiquis Britannis Julius Cæsar *d*) tradit; aut secundum institutum incolarum regni Calecuti res expediri posset, ubi fæmina, rerente Ludovico Romano *e*), septenis nubis viris, qui in concubitum noctes alternant: ubi autem peperint mulieres, prolem delegant ad quemcumque ex septem conjugibus voluerint, a quarum assertione nulla est provocatio. Posset etiam Garamantum consuetudo observari, de quibus Pomponius Mela *f*) refert, nulli certam uxorem esse; ex his autem, qui tam confuso parentum coitu nascuntur, quos pro suis colant, forma similitudine agnoscere. Vel denique fors optima rerum incertarum iudex posset adhiberi.

- a*) d. L. 7. Disp. 80. n. 4.    *b*) Dn. Pufend. d. J. N. lib. 6 cap. 1. §. 14. p.  
m. 775.    *c*) l. 2. c. 58.    *d*) lib. 5. de bell. Gall.    *e*) Navig. l. 5. c. 8.  
*f*) de Situ orb. lib. 1. cap. 8.

§. 30. Quod vero subjicitur *a*), in eo maxime differre connubia hominum a commixtione brutorum, quod uxores maritis fidem dant de corpore solis ipsis præbendo; ex eo est, quod sapientissimus Creator noluerit hominem secundum solum naturæ dictamen matrimonium inire, sed ab initio statim institutione primæva alia quædam requisita homini præscriperit, unde addendum erat; Et in eo differre connubia hominum a brutorum commixtione, quod & mariti uxoribus fidem dent de corpore solis ipsis præbendo.

*a*) apud Dn. Pufend. d. l.

§. 31. Pergamus ad 2. argumentum de mutuo adjutorio, de quo iterum Sanchez *a*). Insuper adversatur etiam fini secundario. Nam domestica societas & communicatio operarum, que ad vitam tuendam desiderantur, minime obtinebuntur, ubi multa capita unius corporis sunt, nempe multi viri in eadem familia. Quare licet multi servi sint com-

modo unius Domini, at nullus servus potest commode multis Dominis subjici: nec in matrimonium tuende paci inserviet, sed innumeras excitabit rixas, quas unica uxor tanquam subdita sedare nequibit. Sed aperte presupponit hoc argumentum discordiam atque dissensum virorum, qui ex accidenti est. Sane unum servum non incommode multis Dominis subjici posse, passim docet jus Romanum b), & quemadmodum inconvenientia, quo forte ex communi Domino oriri poterat, satis tolli potest per pacta & leges civiles; ita nullum est dubium, populos, apud quos bigamia muliebris in usu fuit, eidem posuisse obicem. Accedit, quod Sanchez confundat mutuum adjutorium cum imperio maritali c), cum tamen illud sine hoc commode consistere possit, quod exemplo mercatorum, mutuas operas conferentium, patet. Aque incongrue extenditur ab eodem adjutorium uxor ad compонendas rixas mariti, cuius gratia nescio, an unquam maritus uxorem ducat, cum ad id sufficient & melius adhibeantur imperium magistratus, fœdera & similia media.

a) de Disp. 80. n. 4. b) §. ult. Inst. de Donat. §. ult. de stipul. serv. §. ult. per quas personas nobis oblig. acquir. c) de quo mox §. seq. 32.

§ 32. Videamus igitur an 3. imperium maritale polygamiae fœminæ impedimento sit? Arbitratur id Henniges a). Non enim amplius in potestate uxor erit, se alii viro subjecere, qua semel uni subjecta est quamdiu in vivis, quia subditus nolente Domino obedientiam exuere nequit, & se alii potestat subdere. Nemo autem Dominis duobus aequaliter subditus fieri potest. Hinc quicquid hic ageret mulier, irritum esset, quia non adeat agendi facultas, que ad actum requiritur. Sed hanc maritus vi imperii uxori ademit. Vides, momentum in eo situm esse, an omne imperium adimat subiecto libertatem alii potestati se subdere? quod non puto. Sane enim modo diximus, unum servum posse pluribus Dominis servire, & non dubito, posse etiam, ceteris paribus, quem esse subditum duorum principum. Nec est, quod dicas, id fieri ex conniventia Dominorum, neque posse servum contra voluntatem Domini aut subditum contra prohibitionem principis alium Dominum priori addere; Præterquam enim quod juri naturæ non aduersetur, ut is, qui se sponte Domino aut imperio alterius subjicit, sibi potestatem reservet & alium Dominum aut principem, si condu-

cat,

eat, querendi: quid si maritus etiam uxori conniveat, eique, ut alium superinducat, permittat? Quid hic dicit Henniges?

a) ad Grot, Lib. 2, cap. 5, §. 8. p. 465.

§. 33. Ulterius: Quid si maritus in pacto conjugali imperium sibi non stipuletur, aut juri suo renunciet? Non valebit, inquieris, hoc pactum, quoniam pugnat cum essentia conjugii. Sed quomodo pugnat? Poterit certe soboles absque imperio maritali generari, poterit etiam educari, & quidem comode. Quid quod in statu integro non fuit imperium maritalle a), fuit tamen conjugium non minori essentia praeditum ac hodie. Quod si ad paenam provocare velis, mulieri propter lapsum dictatam b), concedam forte, maritum, ut qui a DEO quasi executor ejusdem paenae constitutus est, non posse pro arbitrio suo uxori imperium remittere, sed inde tamen nihil lucraberis; spectat enim ista paena impositio ac determinatio ad jus divinum positivum universale, adeoque, si reliqua, que huic argumento regessi, forent sublata, posset quidem inde concludi, polygamiam muliebrem legi huic positivae contrariari. At probari debeat, eas pugnare cum lege naturali.

a) quod distincte demonstravit Dn. Preses in Philosoph. Juris §. 15. seqq.

b) Genes. 3.

§. 34. Probabitur istud, perget Henniges, eo quod q. nibil aliud intenderetur per bigamiam istam foemineam, quam indomita libidinis turpis expletio, que sine honestiore concomitante sine injusta & moraliter mala est. Vitia audio bigamorum, non bigamiae ipsius. Sepissime & a monogamis intenditur extinctio libidinis, inde tamen nihil monogamiae imputabitur. Intendere utique potest ejusmodi foemina procreationem sobolis, ut superius demonstravimus a). Non afferam, praeceptum divinum eo tendere, ut etiam propter evitatem libidinis nuptiae possint iniiri b). Sane non pauci nostratium Theologorum concubitum cum uxore grava peccatum contra jus naturae esse negant, et si hic regulariter saltim unctionis extinctio intendi queat. Et certe dubiam Henniges assertionem reddunt præterea Augusti c) verba: Solet queri cum masculis & foemina non filiorum procreandorum sed pro incontinentia solius concubitus causa copulantur ea fide media, ut nec ille cum altera nec illa cum altero id faciat, utrum nuptiae sint vocandas?

de? Et potest hoc appellari connubium, si prolis generationem, quamvis non ea causa conjuncti sint, non tamen vitaverint.

a) §. 26--28. b) i Cor. VII, 2. & 9. Conf. Beat. Scherz, loco de Conjug. p.m. 818 828. 841. c) lib. de bono conjugali cap. relata in can. 6. caus. 32. q. 2. conf. Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 29. n. 26.

§. 35. Restat, ut ponderemus 5. ultimam rationem, quam Sanchez a) in eo ponit, quod etsi Deus sepius in sanctis Patribus dispensaverit, ut plures uxores ducerent, nullibi tamen habeatur permisso, ut una uxor pluribus viris nubat. Impingit hæc ratio, ni fallor, in regulas Metaphysicorum; docentium a negatione actus ad negationem potentiae argumentari non licere. Diximus supra b) jus naturale esse indispensabile, unde quidem inferre possum: Deus circa hunc actum dispensavit, ergo istum actum naturali prohibitus non est, minime vero ex eo, quod Deus actum aliquem nunquam permiserit, concludere valeo, istum actum esse indispensabilem. An igitur, inquires, Deus in polygamia muliebri dispensare potest? Mallem ab hujusmodi quæstionibus plane abstineri. Cum enim attributa divina, & inter ea etiam omnipotentia captum intellectus nostri longe excedant, videtur & reverentiæ divino numini debitæ inconveniens, & frustraneum, imo quandoque noxiū esse, si non contenti iis, quæ Deus in verbo suo de voluntate & factis suis nobis revelavit, curiositate minus sana, quid Deus velle aut facere potuerit, anxie inquiramus. Accedit, quod magis jam occupatismus in responsione ad rationes contra polygamiam muliebrem ex præceptis juris naturalis allatas, quam ut thesin nostram probemus, adeoque nobis non opus erit afferere, posse Deum hic dispensare, sed sufficit, si nullæ adducantur rationes prægnantes, quæ id evincant, quod non possit. Et quid verbis opus? Sane ipse Sanchez, adversus quem in præsenti disputamus, Bellarmino dispensationem neganti, eo quod hæc bigamia sit contra prima principia juris naturæ, contradicit, & nulla in se videre repugnantiam afferit, neque hoc ita intrinsece malum esse, quin Deus possit dispensare c). Quæ Sanchezii opinio, quemadmodum rationem ejus, quam jam examinamus, plane destruit, ita forte miraberis, quomodo idem duas has theses, in quarum una statuit, polygamiam muliebrem esse juri naturali adver-

adversam, in altera vero eandem esse dispensabilem, quæque adeo videntur esse conterarie, defendendo a vitiis contradictionis liberari possit. Hahnus utique per hanc posteriorem videtur inductus, ut Sanchezio sententiam, ac si statuat, polygamiam hanc jure naturali esse licitam, attribuat d). Sed hac de re ipse viderit. Forte in mente habuit distinctionem Dn. Osipandri, de qua iam superius c) mentem nostram declaravimus.

a) d.l. 7. Disp. 80. n. 4. b) §. 14. c) d.l. 7. Disp. 80. n. 15. d) ad Wofenb. de ritu Nupt. n. 4. e) §. 24.

§. 36. Pergeremus ad alia, nisi prævideremus hanc sententiam nostram ob novitatem male apud non paucos auditum, cum idem Sanchez a) doceat, Dn. Augustinum b) veritatem istam de polygamia muliebri jure naturæ vetita probare, & in ea re consentire Thomam c), hunc vero universos sequi. Sed his reponemus ea, quæ in simili prolike & erudite differit Illustris Pufendorffius d). Enim vero novimus in vera religione verbo Dei nixa nihil esse novandum. Crimen quoque est in re publica res novare. At in disciplinis rationi subjectis eo ampliorem industriae laudem quis meretur, quo magis ex ingenio proprio sapere intendit, & quo magis rationum ponderibus quam autoritatibus & numero Scriptorum, præprimis scholasticorum, veritatem doctrinarum metitur. De Augustino quidem mirandum adeo non est, cur adversæ sententiae patronus extiterit, quoniam in ea fuit persuasione, quæ superfœtatio in hominibus non inveniat locum e), magis mirandum hoc de Peripateticis, quorum princeps summus Aristoteles superfœtationem hominum admittit f), unde & Scholasticorum Alpha Thomas coactus fuit superfœtationem concedendo, non tam ab impedimento procreationis quam ab educationis difficultate incertitudine prolis spicula jam supra g) a nobis fracta sibi fabricare, quorum imbecillitatem quod non senserit reliqua Scholasticorum turba, præter alias causas nimio affectui, quo autorem istum prosecuti sunt, videtur adscribendum, qui tamen nobis, quo minus eam seponamus, & veritatem nude sectemur, fraudi esse non debet.

a) d. disp. n. 4. b) l. 3. d. Doct. Christ. 6. 12. & de bono conjug. cap. 17.  
c) 4. q. 65. art. 1. ad 7. d) in specim. controvers. cap. 2. conf. ejusd.

D

Apolog.

*Apolog. p.m. 6.* e) ita enim de Civ. Dei Lib. 5. c. 6. p.m. 408. Et tanta naturæ vis est, ut cum conceperit foemina, deinde alterum concipere omnino non possit. f) vid. Laud. Vivem & Coquem ad d. l. Augustini p.m. 409. seq. g) §. 30 seq.

§. 37. Cave tamen putes, nos eo impietatis esse prolapso, ut statuamus, polygamiam hanc muliebrem esse licitam aut in republica tolerari posse, cum lex divina positiva universalis æque omnes homines liget ac jus naturæ; & ut supra dictum, æquali obligationis gradu eorum libertati vinculum injiciat. Quapropter concludo III. Polygama utraque non in novo demum fædere per Christum est probita a); sed pugnat etiam cum institutione primæva conjugii, quæ mortalibus tanquam lex universalis est observanda b). Illud jam confecere Theologi nostrates c), ostendentes adversus Socinianos: Christum nova precepta moralia in Novo Testamento non instituisse. Quoad hoc duo probanda sunt, initio quod institutio conjugii primæva legis vicem obtineat, deinde quod per hanc institutionem polygamia sit prohibita. Prius præterquam quod in genere a Theologis nostris, ostendentibus omnem divinam institutionem simul esse divinam legem, jam satis demonstratum sit, in specie etiam ex verbis Christi perspicue doceri potest adversus Pharisæos de licentia divorcii disputantis d), quæ disputatio, cum in ea potissimum robur assertionis nostræ situm sit, paulo distinctius sed breviter considerari meretur.

a) quæ erat opinio 4. §. 21. b) C ita facimus cum opin. 3. d. 21. c) vid. B. Scherz Colleg. Anti-Socin. fol. 1124. seqq. d) Matth. 19. v. 3. seqq.

§. 38. Cum in lege Mosaica tres deprehendantur leges de adulterio foeminarum disponentes, quarum una statuitur, quomodo in suspicione adulterii procedi debeat a), cum potionе aquarum amararum, secunda poena capitalis adulteræ convictæ dictatur b), tertia vero matto conceditur libellum repudiī adulteræ dare, atque ab eadem facere divorcium c); variaz de harum legum interpretationibus inter Judæos ortæ sunt discepptiones. Alii enim putarunt, maritum ex officio teneri, cum uxore adulterii suspecta instituere examen per aquas amaras, alii id ipsius arbitrio reliquerunt. Alii, ut tertiae legis cum secunda repugnantiam tollerent, statuerunt, secundam a tertia fuisse

fuisse abrogatam, neque enim ullibi deprehendi exemplum uxoris, ob adulterium morte mulieratæ. Et Deum cavisse per hanc ultimam legem innocentiae foeminarum, ne ab inhumaniis maritis in omnimodam saevitiam erga uxores pronis sub specie adulterii comissi necarentur. Potissima autem controversia circa expositionem legis de repudio fuit orta, quid per voces רָוֹרֶת דְּבָרָה, quas per fœditatem vulgata, Lutherus: Um einer Unlust willen reddidit, innueretur. Nam Schola Schammæana adulterium ibidem intelligi defendit, nec repudium nisi in causa adulterii permisit; At Hilleiana de quavis causa, ob quam mulier viro non placeat, legem dictam exposuit (v. g. si non bene morata aut modesta sit, si odio eam maritus habeat, si esculenta mariti nimia salsedine aut nimia tostione male conficiat, si ictu aliquo divino muta redditæ sit aut fatua, si quis mulierem videat uxore formosiorē d), adeoque arbitrio viri repudium mere permisit. Denique alii putarunt, cogi maritum, ut in causa adulterii uxorem dimittat, alii contra licentiam saltem ibi indulgeri docuerunt e).

a) Num. 5. v. 11. seq. b) Deut. 22. v. 22. c) Deut. 24. v. 1. d) Ob quam ultimam causam Rabbi Aquiba uxorem repudiari posse statuit vid. Selden. Ux. Hebr. l. 3. c. 18. p. m. 313. Ut adeo, si accurate numerare velis, tres fuerint sententiae de expositione hujus legis, Schola Schammæana, Hilleiana & Rabbi Aquibæ. Sed jam idem Seldenus notavit, binas has posteriores sententias fere in idem recidere d. l. 3. c. 20. p. m. 329. e) vid. Lightfoot Horas Hebr. in Matth. c. 5. & c. 19. p. m. 273. sqq. & p. 398. sqq.

§. 39. Diximus Scholam Schammæanam statuisse per apud Mosen intelligi turpitudinem adulterii, qua in re Lightfootum κατὸς πόδας sumus secuti. Sed videmus assertioni illi contradicere doctissimo Seldeno, Turpitudinis, inquit a) vocabulum seu τὸ ὑροῦτε in utriusque sc̄pte tam Hilleiane, quam Schammæana, sententiis diffusori significatione multum discrepat, ab ea turpitudinis notatione, qua incestus, adulterium, ac cum uxore immunda coitus in Levitico designatur. Duas vero pro hac sententia potissimum assertiones b): Primo quod in Gemara tradatur: Schammæanos noluisse uxorem repudiari, nisi tantummodo ob turpitudinem, veluti si egredieretur capite aperto, discessis ad latera vestibus aut brachiis rectis.

tectis. Scilicet ejusmodi sensis eis habetur sacri sermonis: quoniam in ea invenerit turpidinem rei. Deinde, quod observandum sit, in lege militari de castrorum munditie, que in capite Deuteronomii, quod legem de divorcio proxime antecedit, habetur, וְדָבָר (nec alibi in sacris litteris) occurere, ibique planissime rem generalim aliquam turpem denotare. At quod pace Seldeni dictum sit, hæ rationes nos non movent, ut ab explicatione Lightfooti recedamus. Nam quamvis aperitio capitis, discissio vestium, aut retectio brachiorum non esset adulterium, erat, tamen omnino apud Judæos impudicitæ species, unde maritus non contemnandam suspicionem adulterii desumere poterat, et si hæc suspicio non sufficeret ad examen aequalium amararum d). Demus etiam Seldeno in lege militari וְדָבָר denotare turpidinem in genere, sufficit nobis וְדָבָר quoties de sceminiis vel in causa matrimonii usurpatum, semper innuere turpidinem concubitus illegitimi, ut in Levitico fieri ipse Seldenus agnoscit.

a) d. L. 3. cap. 21. p. m. 331. b) d. l. p. 333. c) c. 17. d) Selden. d. cap. 17. p. m. 303.

§. 40. Ex dictis patet: Phariseos apud Matthæum a) Christo potissimum controversiam Schammæanæ & Hillelianæ Scholæ de intellectu legis Mosaicæ de repudio proposuisse. Littere, inquiunt, homini divorcium facere cum uxore sua, qualibet ex causa? (κατὰ πᾶσαν αἰτίαν?) prout nempe putarunt Hilleliani, quorum opinio adeo communiter tum temporis videbatur recepta b). Respondebat Christus, negando questionem propositam, & loco confirmationis provocat ad institutionem conjugii primævam, per quam omne divorcium & repudium prohibitum fit. Nonne legislis, ait, quod is, qui fecit ab initio hominem, masculum & feminam fecit eos & dixit: Propterea deseret homo patrem, & matrem, & adglutinabitur uxori sua, & erunt duo in carnem unam. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quid ergo Deus copulavit, homo non separaret. Mirabiliter hæc responsio Phariseis, divorcium omne institutioni primævæ esse adversum, cum tamen lex Mosaica de divorcio disponeret, ac propterea objiciunt responsioni Salvatoris: Si tua assertio vera esset, cur ergo Moses jussit dare libellum repudii ac dimittere eam, si scilicet non invenerit gratiam coram oculis ejus propter aliquam

aliquam fœditatem? Sed quod Moses jussit, ut quacunque de causa fieret, id non potest esse institutioni primævæ adversum, cum leges Mosaicæ æque divinæ sint ac ipsa institutio, Deus autem non potest sibi esse contrarius. Jam igitur respondebat Christus & ostendebat ipsis duplicem errorem circa expositionem legis Mosaicæ, unum quod putarent, jussum in dicta lege Mosaicæ contineri, alterum quod permissionem istam de adulterio saltem procedentem ad quamvis causam etiam fatuam contra intentionem Mosis extenderent. Moses, ait, ob duritatem cordis vestri, ne videlicet arrepta a lege de adulterio morte mulctando ansa in alias feminas anhelantes & naufragantes uxores vestras, insidias vitæ sub praetextu adulterii commissi uxoribus strueretc), permisit saltem *vobis*, non jussit *d)*, repudiare uxores vestras. Ceterum non putandum est, ac si propterea Moses aliquid institutioni primævæ repugnans hic disposuerit, quippe per istam legem non tollitur lex institutionis *ab initio* lata, qua omnino non fuit sic permisum divortium, sed dispensatur tantum ista lex, non quidem, uti vos arbitramini, quasi quavis ex causa divortium liceat; Dico enim *vobis* quod quicunque repudiaverit uxorem suam, nisi ob illegitimum concubitum (*ei* *μη επι πορνεια*) facit contra intentionem Mosis. Quod si insuper & aliam duxerit & repudiata alii nupserit, non solum *is* maritus divortium faciens committit adulterium, sed & qui repudiata duxerit, *is* adulterium committit, quoniam videlicet vinculum conjugale contra institutionem ac dispensationem revera per ejusmodi divortium non fuit ruptum. Quin imo eti ipsa uxor divortium passa nubendo alii adulterii vitium contrahat, tamen cum plerumque hoc divortium fiat in uitio uxoribus, ipse maritus libellum repudii dans, facit ut illa sit adulterae), adeo tanquam causæ principali ei imputabuntur omnes dimissæ libidinosæ actiones *f)*.

*a)* d. cap. 19. v. 3. seq.    *b)* Conf. omnino Seldenum d. l. 3. cap. 20. p. m. 329.  
*c)* Lightfoot d. l. p. m. 273. seq.    *d)* Lightfoot d. l. p. 278.    *e)* hec enim addenda sunt ex loco parall. Matth. 3. v. 30.    *f)* Lightfoot d. l. p. 278.

§ 41. Ex responsione hac salvatoris firmiter inferri potest, institutionem primam conjugii legem esse, cum aliis in præsenti disputatione Christus ad eandem frustra tanquam ad legem provocasset, quod latius contra Lyserum probavit Clar.

Dieemannus <sup>a)</sup>). Restat, ut jam videamus: utrum bigamia cum institutione primæva pugnet: adducuntur communiter duæ rationes: 1. quod Deus non nisi unum masculum & unam fœminam creaverit, ideoque & in posterum matrimonium non nisi inter unum & unam esse voluerit. 2. Quod dicatur: & erunt duo in carnem unam. Sed quemadmodum adversus posteriorem rationem varia a polygamiæ virilis defensoribus afferuntur, ita nobis eadem in præsenti prolixe discutere non vacat, præprimis cum & ista secunda ratio non videatur a prima esse separanda, sed ab illius demonstratione fere dependeat. Negant igitur adversarii consequentiam prioris rationis, instantias plures nobis opposentes; An ergo, inquiunt, etiam preceptum est, ut personæ matrimonium incuntes 1. nude, 2. sub dio, 3. a Deo ipso, 4. sine interv entu Sacerdotis, 5. sine præsentia parentum & cognitorum, 6. sine hospitibus, 7. sine musica, 8. sine cibo & potu, 9. sine arrba & annulis &c. copulentur? Sane omnes haec circumstantiae institutioni primæva convenient. Solet vero ad has instantias communiter responderi, primum conjugium in his tantum, quæ ad matrimonii essentiam faciunt, non item in ceteris, quæ cœu individuantes circumstantiae & accidentia illud concomitata sunt, normam esse constituendam. Essentialia autem matrimonii in causis internis consistere, materia nimis seu duabus personis contrahentibus & forma, quæ est indivisum maris & fœmine vinculum &c. b). Sed nescio an hæc responsio litem tollat? Quamvis enim adversus ipsam distinctionem essentialium ac accidentalium non facile aliquid firmum objici possit, plura tamen sunt, quæ explicationi essentialium conjugii possent non sine fundamento opponi. Præterquam enim, quod accuratores Philosophi dudum demonstrarunt, ratiō materiale & ratiō formale conceptum corporeum natura sua involventia valde improprie & per abusum quasi rebus moralibus & quæ in jure consistunt, aptari; cuilibet apparent, quam vastus campus polygamis speriatur disceptandi, utrum recte personæ contrahentes ad causas internas & ad materiam referantur, cum potius videantur in classe causæ efficientis collocari debere. Præjudicialis hæc questio facile occasionem præbere poterit integrōs tractatus subtilissimis metaphysicæ abstractionibus refertos in utramque partem componendi, quo pacto ex horto morali ac juridico præter intentionem duceremur in sylvam contem-

contemplativam. Quodsi autem personæ contrahentes sunt causa efficiens conjugii, vides, quam non difficulter polygamie amator inferre possit, easdem ad essentialia matrimonii non spectare, cum omnis causa efficiens, quamcunque etiam conceptum tibi formes, seu principalem, seu instrumentalem, seu remotam, seu propinquam &c. sit extra rem & negotium ab ipsa producendum. Si vero, has tricas ut evadas, respondere velis, in moribus sèpius causas internas & v. gr. nobilissimam earum formam, desumi ab externis, efficiente & fine, eo ipso fateberis, metaphysicas distinctiones ad definiendas controversias mœtales non esse aptas, cum in regno metaphysicæ paradoxum sit, & imo contradictione maxime perspicua, idem, quod extra essentiam rei est, ad ejusdem essentiam pertinere. Quod si vel maxime hæc per arbitrios componatur, & polygamie propugnator dato aliquo vel relichto nobiscum transfigat, ac personas matrimonium ineuntes materiam conjugii esse concedat, vereor tamen, an multum lucraturi simus. Quis enim prohibebit, ne idem propriis armis adversus nos utatur, neve ulterius abstrahendo inter materiale & formale materiæ ipsius distinguat, vel si apertius nobiscum agere velit, ne nos jubeat discernere personas ipsas contrahentes ab earundem accidentibus, aut qualitates essentiales personarum contrahentium a qualitatibus accidentalibus. Personas quidem esse materiam conjugii, at numerum personarum non esse personas ipsas: Sexus diversitatem & consensum esse qualitates essentiales conjugii vel etiam personarum conjugium ineuntium, cum sine iis societas conjugalis fines suos obtinere nequeat: at numerum personarum magis ad accidentia matrimonium primævum concomitantia esse referendum, quam nuditatem Adam ac Evæ, utpote cum hæc ipsorum corporibus adhæserit, numerus vero plane accedat ab extra, nec personas ullo modo afficiat. Ergo bellum ex bello oriaretur, arma, quæ vix deposuissemus, iterum arripienda essent ad hostem profligandum, ad quod tamen componendum dubito, an omnes distinctiones, quas vel Suarez vel Henriquez vel alii metaphysicorum duces clarissimi suppeditaverunt, sint sufficiuntæ.

a) inter. vindic. leg monog. §. 9. b) vid. Diecmann. d. l p. 76. & 77.

§. 42. Itane igitur, inquies, campum relinquere oportet

## 22 DE CRIMINE BIGAMIAE.

tet polygamiæ defensoribus? Itane turpi fuga bona causa prodetur? Absit omnino, quin potius hostis serio oppugnandus est, sed arma straminea abjicienda sunt, cum sustes imo gladii super sint, quibus jugulum ipsius petere possimus. Sic itaque procedemus: Constat legum interpretationem esse duplicem, authenticam unam, doctrinalem alteram. Illa ad legislatorem pertinet, hæc ad JCtum, illa de voluntate legislatoris omne tollit dubium, etiam si non semper rationem penetrare possimus, hæc ex regulis artis, in quibus sepe ad conjecturas convolamus, mentem legislatoris elicere. Quodsi igitur ex legibus interpretationis doctrinalis ostendendum esset, bigamiam per institutionem primævam conjugii interdictam esse, dicerem, omnes circumstantias negotii a Deo instituti hominibus per modum legis esse obsecrandas & pro essentialibus habendas, modo appareat, Deum in iisdem singulare quippam & ad negotium ipsum pertinens intendisse, aut easdem ex post facto non iterum sustulisse. Jam igitur constat, Deum primum par protoplastorum eum in finem creasse, ut per ipsos mediante matrimonio genus huma num propagaretur. Quodsi itaque voluisse permittere, ut una fœmina pluribus, vel unus vir pluribus fœminis posset in conju gio jungi, haud dubie plures masculos creasset, præprimis cum ab initio multiplicatione generis humani, quam potissimum urg ent polygamiæ virilis defensores, magis quam hodie fuerit opus. Infero exinde per hanc circumstantiam unius maris & unius fœminæ Deum singulare quid ratione ipsius conjugii intendisse, adeoque eandem ad essentials circumstantias esse referendam. Nec obstat, quod adversarii nostri dicant, ideo Deum unum tantum par hominum creasse, quod voluerit, ut ab uno sanguine omne genus humanum descenderet <sup>a)</sup>. Quemadmodum enim hæc assertio nobiscum non pugnat, cum unius circumstantiæ Deus potuerit plures habuisse rationes, & præterea hæc ratio etiam singulare aliquod circa ipsum conjugium intendat, quod nobis sufficit, ita nescio, an exinde firmum aliquid inferre possint polygami. Etsi enim statuant, hunc finem non fauisse obtentum, si Deus plures fœminas creasset, easque Adamo junxisset, vereor tamen, an hæc sententia demonstrari quest, cum non solum verior nobis videatur Physicorum opinio, sta tuen-

uentium, ex semine masculino saltem prolem generari, sed & ipsa scriptura frequentius phrasí ista: *hominem generari ex sanguine maris utatur*, & in jurisprudentia etiam fratres, qui ab uno patre descendunt, consanguinei non sine ratione dicantur.

a) *Acto. 17. v. 26.*

S. 43. Jam quod instantias polygamorum a) concernit, quis non videt 1. nuditatem primorum parentum circumstantiam esse, quæ non specialiter ad ipsum matrimonium pertinet, sed & haud dubie, si homo mansisset integer, etiam in cœlibibus habuisset locum, ut taceam, ipsum Deum nuditatem primorum parentum post lapsum obtegisse eamque sustulisse b). 2. Quod sub diu primum conjugium fuerit celebratum, iterum ad ipsum conjugium in specie nihil facit, cum tum temporis nulla fuerint ædificia, & præterea circumstantia loci fere semper inter accidentales referri debeat. 3. Ipsum vero Deum nolle conjugia hodierna hominum copulare, exinde constat, quod non ita nobiscum, ut cum Adamo, Deus conversetur. Denique quod 4. de sacerdoce, 5. de parentibus, 6. hospitibus & reliquis circumstantiis urgetur, nihil adversus nos facit, cum asseruerimus, saltem nullam circumstantiarum, quæ in institutione negotii alicius a Deo facta affuerunt, homini esse omittendam, non vero nullas alias esse addendas. Postulant enim accedere & aliæ decoris in vita humana observandi gratia, modo per eas primævæ non tollantur. Quod neminem in dubium vocaturum esse confido, qui modo consideraverit, quam variæ circumstantiæ in ecclesia orthodoxa in administratione sacramentorum observentur, quæ in primæva institutione non affuere &c.

a) *Vid. supra §. 41.*

b) *Genes. 4. v. 21.*

§. 44. Sed quid opus disputatione prolixiore ex regulis interpretationis doctrinalis desumta. Ipse Christus, cuius explicatio utique pro authentica haberi debet, in disputatione cum Phariseis superius a) recensita clarissime ostendit, bigamiam utramque & muliebrem & virilem in institutione primæva esse prohibitam. Quamvis enim de polygamia disputatione ista non fuerit instituta, licebit tamen ex ejus assertione firmissime thesin nostram per argumentum deducere. Nam si fœmina, quam vir tamen dimiserat, nubendo alii adulterium committit,

E

multo

multo magis adultera erit, quæ non dimissa a priore marito ali-  
um assumit. Quod si mœchatur, qui dimissa priore uxore, seu  
invita seu volente, aliam dicit, multo magis mœchabitur, qui  
retenta priore seu volente seu invita superinducit alteram b).  
Connexio tam firma est, ut ulteriorem probationem non ad-  
mittat. Et quamvis mire sudent polygamia amasii, ut eam in-  
fringant, quam ob rem afferunt: adulterium in dicto loco Chri-  
sti non committi per ductionem alterius, sed per ipsum repudi-  
um, commenti tamen hujus vanitatem jamdudum com-  
monstarunt alii c). a) §. 40. b) c. 8. X de divorc. B. Dn. Schertz, loco de  
conjug. §. 14. p. 806. c) vid. Dn. Museum Diff. Theol. contra Lyserum §.  
18. ad 52. Diecmann. in Brev. Exam. & in Vindic. iterat. §. 28. 29. 30.

S. 45. Prohibet igitur jus divinum toti generi humano  
latum utramque polygamiam. Pergo ad jus humanum, paucis-  
simis ostensurus, quid jus Romanum, quid Canones, quid jus im-  
perii modernum, quid denique jus Saxonum de moralitate bi-  
gamiæ disponant. Nam quid alia gentes de eadem statuerint,  
ad nos non pertinet. Fatemur & fatentur omnes, paucissimas  
& non nisi maxime barbaras gentes polygamiam muliebrem ad-  
mississe, quas recenset Illustris Pufendorfius a), & similia de po-  
pulis regionis Malabar novissimus Indiarum Orientalium de-  
scriptor b) refert, cujus verba cum ea, quæ superius c) disputa-  
vimus, non parum illustrent, haud pigebit apponere. Les fem-  
mes, inquit, des Génils Malabares ont le droit d'avoir autant de Maris  
qu'il leur plait -- sans que cela cause de désordre. Les hommes qui portent  
des armes, les quittent à la porte de la femme, afin, que s'il en venoit un  
autre, il connut que la place est prise. Les promesses, qu'ils se font en s'epfu-  
sant, ne durent pas autant, qu'ils se plaignent, & lors que l'amour est finy, ils  
se séparent sans murmurer. Cette liberté de prendre tant des maris & de les  
quitter, quand on veut, fait, que les enfans connaissent presque jamais leurs  
peres & c'est cette raison, qui fait de perdre leur qualité de celle de leurs me-  
res. Les fils n'héritent point, ce sont de neveux, qui retiennent les successions,  
parce qu'on ne peut douter, qu'elles ne leurs soient dues, encore il faut, que  
ces neveux soient fils de fœur. Fatemur etiam, plures gentes sed ex-  
tra ecclesiam accepisse polygamiam virilem, eamque adhuc u-  
surpare d). Plures, inquit Huberus e) viro feminas sociari plerisque  
gentibus mos & fas fuit, & est hodieque toti Asia Africæque, ut prope solos  
barba-

barbarorum Germanos Tacitus f) excipiat, qui singuli uxoribus contenti fuerint. Pauci cultiores, singulari conjugio se ad adaptarunt, ut Romani Graeci, atque hi quidem non perpetuo g). Quanquam de Germanis differentia Menochius h), qui tamen cum Tacito optime conciliari poterit, si ejus sententiam limites de nobilioribus Germanorum, hos enim plures uxores habuisse, & in eo decus familiæ & dignitatem quæsivisse, fatetur ipse Tacitus i), & ex eo observavit Alexander ab Alexandro j) a Menochio citatus. Eoque referendum est exemplum Arioistii, quem polygamum fuisse Julius Cæsar k) tradit.

a) de J. N & G. lib. 6. cap. 1. § 15.

b) Mons. Dellen dans la relation d'un voyage des Indes Orientales Tom. I. p 227. c) § 28. seqq. d) quas solicite conquistvere polygamie hujus defensores. Adde Menoch. de A. J. Q. c 420. n. 73 seqq. e) digress. Justin. l. 2. c 17. p. m 242. f) c. 18. de morib. Germ. g) dln 83. h) d. c. 18. i) Gen. Dier. l. 1. c 24. p. m. 192. k) lib. 1. de Bello Gall. in fine.

§. 46. Romani polygamiam virilem valde abhorreunt. Primum Antonium contra leges patrias duas uxores habuisse Octaviam & Cleopatram memorat Plutarchus a). Et quamvis Theophilus Alethæus b) afferat, Julium Cæsarem tulisse legem, ut liberorum quærendorum causa, quot vellet quisque uxores ducere facultas foret, revera tamen legem istam non fuisse latam, sed Cæsarem saltem, ejus lationem habuisse in mente, lasciviam ejus describens c), refert Suetonius d). Jam enim antiquitus edictio Prætoris notati erant, qui bina sponsalia binasve nuprias eodem tempore constitutas habuerint e), quod repetierunt Imperatores ethnici Valerianus & Galienus f), & vulgo patere edicunt Diocletianus ac Maximianus g), neminem, qui sub ditione sit Romani nominis, binas uxores habere posse. Ex Christianis postea Constantinus etiam concubinas constante matrimonio vettuit h). Etsi vero deinde Valentinianus, referente Socrate i), legem de licentia bigamiæ virilis tulerit, & ipse quoque Severam & Justinam simul duxerit, (quanquam adversus hanc Socratis narrationem non contemnendis rationibus disputet Baronius) k) a nullo tamen historicorum memoratur, istam legem venisse in observantiam, quin potius a Theodosio Magno ipsis Judæis polygamia hæc est interdicta l), & utriusque bigamiæ prohibitio repetita vice ab Imperatore nostro Justino-

niano fuit inculcata *m*), quid quod & ab eodem ipsa concubinorum multiplicatio rebus illicitis annumerata *n*).

- a) invita Antonii.* *b) in polygamia triumphat, tb. 13.* *c) vid. Suetonium in vita Cesaris cap. 49 seqq.* *d) cap. 52. ibid.* *e) l. 1. in fin. de his qui non infam.* *f) l. 18. C. ad I. Jul. de adult.* *g) l. 2. C. de incest. nupt.*
- h) l. nn. C. de concub.* *i) Histor Eccles. l. 4. c. 26.* *k) Histor Eccles ad ann. 170. § 125.* *l) 7. C. de Jud. & celic.* *m) §. 6. & 7. Inst. de nupt.*
- n) Nov 18. cap. 5.*

§. 47. Jure Canonico utramque polygamiam pro criminis haberi, ex pluribus textibus *a)* videre licet. Notabilis vero præprimis est constitutio Innocentii nobiscum amicissime conspirans, & bigamia prohibitionem ex institutione primævatum ex disputatione Salvatoris cum Phariseis, ducens *b*). De jure imperii & Saxonico denique neminem dubitare sinunt lex Carolina *c*), & constitutiones Divi Augusti *d*).

- a) vid. t. t. X. de sponsa duorum Can. de Benedicto 5. C. 32. qu. 1. & can. nemo blandiatur 4. ead. C. q. 4.* *b) cap. 8. X. de divorcio.* *c) artic. 121.*
- d) Part 4. const 20.*

§. 48. Occupati haec tenus paulo prolixius in expositione generis fuimus, demonstravimusque, ut arbitror, quale crimen sit bigamia. Cæterum cum ad crimen requiratur dolus, idem ut & in bigamia subsit, erit necesse; Unde si quis conjugé adulterium committente, aut malitiose deserente vinculum conjugale absque sententia judicis satis solutum esse arbitretur, & novum matrimonium ineat *b*), bigamus proprie non erit, quamvis pro diversitate culpæ extra ordinem puniri queat. Nec obstat constitutio Justiniani, qua disponitur, ut si fœmina, cuius matitus absens est, & pro mortuo habetur, solennitates a se præscriptas non observaverit, & ipsa & qui eam duxerit, poena adulterii puniri debeant *c*). Quemadmodum enim alio processu, quam qui ibidem præscribitur, utimur hodie, ita & ille rigor peccati videtur exolevisse. Posset etiam dicere: Imperatorem saltem de illa fœmina ibi loqui, quæ presumferit, hoc est, do-lo malo & sciens legem ita latam esse adversus eandem peccaverit, cum alias fœminis non noceat ignorantia juris *d*), in criminalibus quoque, si modo sit ignorantia juris civilis *e*).

- a) Conf. Carpz. Prax. Crim. q. 66. n. 65 sq.* *b) Carpz. d. q. 66. n. 60. sq.*
- c) authent.*

a) authent. hodie C. de repud. Nov. 117. c. 11. d) l.u. & fin. C. de J. &  
F. ignor. e) l. 15. §. 4. & 5. ff. ad L. Corn. de Falsis.

§. 49. Venio ad differentiam specificam hujus delicti, quæ in definitione superius a) tradita desumta est partim a personis delictum hoc contrahentibus, partim a modo & forma ejusdem. Committunt hoc crimen, ut ex dictis hinc inde & ex divisione prænotata b), patet, personæ utriusque sexus, masculi, & fœminæ, unde etiam in definitione vocem quis, quæ ex interpretatione juris sexum fœminimum sub se comprehendit c), ut & vocabulum *conjugis*, quod ex Grammatica significatione de usq[ue]ro sexu prædicatur, adhibuimus.

a) §. 6. b) §. 5. c) l. r. de V. S.

§. 50. Forma hujus delicti tribus requisitis absolvitur, 1. ut is, qui bigamiam committit, jam habeat conjugem superstitem, 2. ut alteri conjugi se associet carnaliter, 3. ut alteri se adjungat tanquam conjugi, quæ omnia in definitione exhibita brevissimis includuntur.

§. 51. Primum requisitum quod attinet, per id excluditur 1) persona, quæ v. g. cum marito, qui uxorem jam habet auctice versa, matrimonium contrahit, & cum eo concubit. Hæc enim bigamiam non committit, et si & ipsa pro diversitate casu um tanquam adultera puniatur a).

a) Carpz. d) quest. 66. n. 69. & 74. Ord. Crim. art. 121. Conf. Elecl. 20. part. 4.

§. 52. 2) Occasione primi requisiti queritur, an etiam bigamia crimen committatur, si sponsus & sponsa alterius cum alia vel alio matrimonium ineant? Ubi quidem quod sponsam attinet, cum ea committere possit adulterium tam de jure divino a) quam de jure civili b), & Saxonico c), non dubitamus asserere, etiam hoc casu eandem crimen bigamia committere. At sponsum quod attinet, et si de jure Mosäico ac civili Romano de eo dubitari possit, cum his juribus maritus cum soluta non committat adulterium, jure tamen Saxonico cum aliud observetur, & sponsus etiam cum alia concubens hoc jure habeatur pro adultero d), ideo & sponsum in dato casu pro bigamo haberem, quod & ipsum a jure divino universalis in conjugii primæva institutione publicato non ablutit e). Loquor autem de sponso & sponsa, qui contraxerunt sponsalia de præsenti & pura, unde si

E 3 tantum

tantum fuerint sponsus & sponsa de futuro, aliud erit tenendum f).

a) Hof. 4. v. 13. Deut 22. v. 26. b) l. 13. § 3. ad

L. Jul. de adulst. I. 7. C. eod. c) per ea qua docet Carpz Prax Crim.

q. 56. d) Carpz. d. q. 56. e) conf. Dn. Präsid. in not. ad Straub.

Exerc. ult. th. 5. p. 445. f) Carpz. d. l. n. 25.

§. 53. 3) Quodsi autem per divortium justum societas conjugalis rupta sit, & conjuges separati iterum matrimonium ineant, bigamie crimen non committitur a). Etsi enim ille, qui fuit conjux, sit superstes, sufficit tamen, quod non amplius sit conjux. Aliter pronunciandum, si conjuges saltem quoad thorum & mensam sint separati; cum enim hoc casu remaneat conjugii vinculum b), utique bigamiam incurret, qui aliam conjugem priori superinduxerit.

a) Carpz. Jurispr. Eccles. lib. 2. def. 190. seq. b) Idem d. l. def. 210.

§. 54. Qui igitur 4) conjugem habet impotentem aut arctam, etsi alii se jungat, non tamen est bigamus, quia impotencia impedimento est, ut nullum subesse censeatur matrimonium a). Idem dicendum est, si ex alia ratione prius matrimonium non subsistat b), unde ulterius infert Gilhausen c) ex Gome-  
zio Leonio, non esse bigamum, qui tam primum quam secun-  
dum matrimonium cum impotentia contraxit.

a) cap. quod sedem &c. ex literis item cap. fraternitatis X. de frigid. &  
malef. b) cap. veniens 13. c. cum in Apostolica 18. & cap. ult. X. de  
Sponsal. c) Arbor. crimin. cap. 2. tit. 19 n. 2.

§. 55. Per 2. requisitum a) innuitur: bigamiam non es-  
se, si quis cum alia saltem sponsalia celebraverit, vel etiamsi bene-  
dictio sacerdotalis accesserit, modo non eandem carnaliter co-  
gnoverit, quod probatur tum per textus Constitutionis Caro-  
linæ b) & Electoralis c), tum per consensum doctorum d), tum per  
rationem. Est enim bigamia species adulterii e). Jam vero  
adulterium in foro humano non nisi per consuetudinem carna-  
lem cum alia persona habitam committitur f). Nec obstat,  
quod supra g) diximus, edicto prætoris a Romanis notatos suis-  
se, qui bina sponsalia binasve nuptias contrixerint. Nam sicuti  
ab idenditate delicti ad pœnæ idenditatem argumentatio non  
procedit b), ita multo minus a pœnæ idenditate hic poteris in-  
ferre crimen binorum sponsaliorum spectare ad delictum biga-  
mie.

miæ. Sed, inquies, si bigamus est, qui sponsæ superinducit aliam, eique carnaliter se adjungit i), erit etiam bigamus, qui uxori, cum qua matrimonium concubendo consummavit, superinducit sponsam. Verum & hic negabo consequentiam, cum & supra simul ostenderimus, adulterium etiam committi a sposo & sponsa, quod tamen in modo dicto per solam desponsationem non patratur. Quod si quis desponsatam carnaliter cognoscere natus fuerit, & vero conatus hic effectum non habuerit, nec hunc pro bigamo habendum esse arbitror k).

- a) vid. supra §. 50.
- b) d. art. 121 verb und vollbringt.
- c) d. p. 4.
- const. 20. S. da aber das Beyschaffen.
- d) vid. Carpz. Prax. Crim. d. q. 66 n. 52 seq. & in Jurispr. Eccles. lib. 3. def. 68. n. 4. seqq.
- e) sic expresse vocatur d. art. 121. Constit. Crim. conf. omnino supra §. 44.
- f) Carpz. d. q. 66. n. 55.
- g) §. 46.
- h) vid. omnino Carpz. q. 56. n. 31.
- i) quod supra concessimus §. 51.
- k) arg. cap. ult. X. de sponsal.

§. 56. Denique per requisitum 3. differt bigamia ab adulterio vulgari. Hoc enim committitur, si quis conjugi superstite cum alia carnaliter se misceat, non tamen tanquam cum conjugi. Quod ut eo melius intelligatur, notandum; adulterium in foro politico sumi potissimum dupliciter, cum late pro omni violatione fidei conjugalis facte per concubitum extra matrimonium, & ita bigamiam sub se comprehendit, cum stricte, quatenus bigamiæ opponitur. Utrumque significatum vindicetur in mente habuisse Carolus V. Imperator a) in verbis: welche Uebelthat denn auch ein Ehebruch und grôsser denn dasselbige Laster ist: h. e. bigamia est species adulterii late accepti, est tamen majus crimen adulterio vulgari & stricte accepto. Sic etiam verba finalia: daß die nicht weniger denn die Ehebrüchtigen gestraft werden sollen, innuant significatum adulterii strictiorem; bigamos nimur ac eos, qui adulterium vulgare committunt, esse puniendos.

a) d. art. 121.

§. 57. Atque hoc ideo notandum, ne quis putet, bigamiam ab adulterio toto genere differre. Sane ex disputatione Salvatoris superius a) recensita sententia nostra corroboratur. Unde non obstant verba modo ex constitutione criminali allata: und grôsser denn dasselbige Laster ist. Poterit enim ad eadem responderi dupliciter. Initio quidem: Hæc verba æqualitatem

tem saltem innuere, non pro augmentibus esse habenda, scilicet: Bigamiam esse æque magnum crimen, ja so ein groß Laster ac adulterium. Quam responsonem forte juvare posses ex modo et iam recensitis verbis: nicht weniger denn die Ehebrüchigen, quæ non volunt majorem poenam bigamis esse inferendam, sed æqualem, quod incongruum foret, si Imperator voluisset bigamiam revera majus crimen esse adulterio, cum poenæ delictis accommodatae esse debeant, & majus crimen majorem poenam mereatur.

a) §. 39. junct. §. 47.

§. 58. Sed præterquam quod adversus hanc responsonem non pauca possint opponi, manet adhuc dubium, quod etiam si eandem admittamus, & bigamiam æque ac adulterium crimen esse explicemus, nihilominus tamen bigamia & adulterium in istis verbis tanquam diversa inter se comparentur. Quapropter præ priori placet altera responso, revera ab Imperatore bigamiam majus crimen judicari adulterio, non tamen negari, eam esse adulterium ob distinctionem adulterii modo a) adductam. Quam responsonem juvant verba proxime antecedentia, in quibus aperte dicit Imperator, bigamiam esse adulterium, ac sequentem thesin, qua afferit eam esse majus crimen adulterio, iisdem in uno contextu jungit per particulam &, quæ regulariter coniunctiva est & copulativa b). Necesse igitur est ut Imperatoris verba ita exponantur, ne contradictionem involvant. Involverent autem contradictionem, si verba: und grôsser &c. ita explicentur, quod bigamia non sit adulterium. Igitur ita dicendum erit, divisionem adulterii in adulterium vulgare & bigamicum (qua voce hic distinctionis causa cum præfamine veniæ vti liceat) esse divisionem analogi; vocem vero adulterii absolute positam non denotare analogatum nobilissimum, quod quidem fieri debuisset, si Imperator regulis Peripateticorum sese voluisse set accommodare, sed ignobiliorum analogati speciem. Imitatus itaque Carolus V. videtur magis JCTos, quibus non raro termino generis ignobilior species denotatur, quod exemplo adoptionis patet, quæ illi speciei, quæ arrogatione utique ignobilior est, applicatur c), item juris in re, quod absolute positum dominium servitutis notat d), longe ignobilius dominio rei corporalis &c.

a) §. 56.

b) Strauch. Lex Partic. juris voce ET n. 2.

c) §. 1.

c) § 1 & 2 infr. de adopt. d) l 13 § 1. de damn. infectio l. 19. pr. eod.  
l 30. d nox. act. l 71. § ult. delegat. t.

§. 59 Quamvis igitur videri posset, bigamiam esse delictum levius adulterio vulgari, cum in ea adsit affectio maritalis, quae in adulterio vulgari cessat; Negat tamen id ipsum in saepius adductis verbis Imperator. Et recte. Nam ipsa haec affectio maritalis cum simul inferat adulterii delictum ad dies vitae continuandi, eo ipso quoque adulterii crimen magis aggravat. Utrum autem hanc rationem Imperator Carolus in mente habuerit, necne, non definiam. Certe non improbabilis videtur conjectura, quam per literas suppeditavit nobis JCTus quidam Magnificus, latere hic hypothesin religionis Pontificie, ac ideo forte bigamiam dici majus crimen adulterio vulgari, quod Pontificii matrimonium pro sacramento habeant. Quo possis etiam referre, quod Farinacius a) tradit, eum, qui duas uxores dicit, esse suspectum de haeresi, & propterea inquisitorem fidei contra eum procedere & inquirere posse, quid sentiat de sacramento matrimonii.

a) Quest. Crim. 140. n 24.

§. 60. Porro cum bigamia, ut dictum, requirat affectiōnem conjugalem, inde queri posset, an & pro bigamis sint habendi, qui uxores habentes cum alia sponsalia contraxerunt, iisque se miscuerunt, si nondum hierologia alterum illud conjugium confirmaverit. Affirmamus autem, questionem propter expressi constitutionis Electoralis a) verba: ob gleich kein Kirchgang gehalten, noch die Zusammengabe durch den Priester geschehen wäre. Sed quid si maritus aliam, cum qua jam sponsalia clandestina contraxit, imprægnet? Utrum & hic pro bigamo habendus erit? Ita quidem videbatur dicendum esse, cum sponsalia clandestina, quibus copula accessit, haberi soleant pro publicis, & imo publicis posterioribus præferantur, si concubitu fuerint firmata b): sed quoniam tamen hoc saltem procedit, si sponsalia publica posteriora sint, hic vero nos presupponamus virum, qui jam per matrimonium aut sponsalia publica alii junctus est; inde non dubitarem afferre, ejusmodi concubitum non esse bigamiam, sed ad vulgare adulterium referri debere, cum sic sponsalia clandestina posteriora etiam copula carnali firmata nequam matrimonii nomine digna videoantur, nequidem ex intentio-

tentione contrahentium, nec dici possit, quod hic suffuerit affectio maritalis.

a) d.p.4. conf.20. b) Carpz. Jurispr. Conf. l.2. def.69.

§. 61. Sed an & is bigamiae crimen incurrit, qui secundum matrimonium contraxit, quod est ipso jure invalidum? Ita quidem arbitratur Gilhausen a). Nos tamen esse distinguendum arbitramur. Si enim posterius illud cum impotente vel arcita fuit contractum, quorum Gilhausen respexisse videtur, sententia eius adstipulamur, sed magis propter deficientiam requisiti secundi, & quod hic nulla conjunctio carnalis fuerit subsecuta. Quodsi vero ex alia ratione, & v.gr propter nimiam cognationis propinquitatem, propter errorem aut similes causas conjugium posterius sit nullum, puto nihilominus bigamiam committi. Nam et si revera non sit conjugium verum, est tamen ex intentione contrahentium solum affectio maritalis, quae hic sufficit. Facit egregie pro hac sententia Ulpianus b). Accedit, quod si hoc casu bigamiam nollemus agnoscere ob matrimonii posterioris nullitatem, nullum plane possemus offerre bigamiae exemplum, cum semper illius, qui jam habet conjugem, matrimonium alterum sit ipso jure nullum. Quod vero eum attinet, qui in persona erravit, & cum Meviam per bigamiam jungere sibi vellet, junxit Cajam, quamvis non habeat affectionem maritalem respectu Cajae, sufficit tamen, quod in genere habeat affectionem maritalem respectu secundae conjugis, & ita versetur in actu illico c).

a) Gilhausen Arb. crim. cap. 2. tit. 19, n. 2. conf supra §. 53. b) l.12. §.

14. de his qui not infam. c) arg. l.18. §. 3. & 5 ff. de injur.

§. 62. Restat, ut de poena bigamiae dicamus. Et jus quidem divinum quod attinet, constat polygamiae mulieris poenam capitalem dictari a). Sed quod virilem concernit, etiam si supra dixerimus, eam jure primae institutionis fuisse prohibitam, constat tamen in populo Judaico eandem poena aliqua haud fuisse notatam. Ceterum an ea per modum dispensationis, an per modum merae impunitatis a Deo fuerit permissa, Doctores variant, quam questionem quidem, (cujus momenta non ita pridem doctissime exposuit doctissimus Theologus Belga Saldenus b) hoc loco definire supersedeo; non tamen dissimulare

lare po  
placere  
tiones

suo non  
nomine  
nasce nu  
scum er  
rel duc

Uterius  
fuit pun  
nim exi

dien, no

a) l.1. in  
ment

de ac

videlicet  
poena, q  
trum Pa  
nochiru  
silverfus  
dem Th  
Tiboris

circum

a) di

§. fin.

tem o

Ulpis

stitution

unt,

bonora

que, a

W, v

lare possum sententiam, quæ dispensationi saret, magis mihi placere, præprimis quod polygamia Patrum concernit, ob rationes a Saldeno relatas.

a) Levit. c. 18. v. 20. 29.

& cap. 20. v. 10. b) Otorum Theol. lib. 2. Exerc. 7.

§. 63. Jure Romano Prætor infamia notabat eum, qui suo nomine, non jussu ejus, in cuius potestate esset, cujusque nomine, quem quamvis in potestate haberet, bina sponsalia binasve nuptias in eodem tempore constitutus habuerit a), etiam si cum ea quis nuptias vel sponsalia constituerit, quam uxorem vel ducere non possit, vel fas non sit, observante Ulpiano b)), Ulterius polygamia muliebris apud Romanos ut adulterium c) fuit punitum, polygamie vero virili poena stupri illata d), quoniam ex hypothesi juris Romani adulterium tantum cum uxore aliena, non cum marito alieno committebatur e).

a) l. 1. in fin. de bis qui not. infam. b) l. 13. §. 4. ff. eod. c) argu-

mento auth. hodie C. de repud. Nov. 117. c. 11. d) l. 18. C. ad L. Jul.

de adult. e) l. 6 §. 1 ff. ad L. Jul. de adult. l. 101. de V. S.

§. 64. Puniebat autem lex Julia initio & stuprum & adulterium non capitali, sed mitiori & plerumque relegationis poena, quod latius post elegantissimos JCTos, Tiraquellum, Petrum Fabrum, Alciatum, Cujacium, Pancirollum, Brissonium, Menochium, Fabrotum, Gaudentium a), Wissenbachium b) Tabor adversus Theodoricum c) disputans d) ostendit. Et poterit quidem Theodorici legibus ac rationibus plerisque ex adductis Taboris & aliorum JCTorum locis satisfieri, pauca ergo saltem circa argumentum ejusdem quartum nobis hic movere liceat.

a) citatos Struv. Ex 49. tb. 32. b) ad Pand. tit. ad L. Jul. de adult. tb. 19.

c) in colleg. crim. disp. 6. tb. 3. lit. L. d) de tortura c. 5. §. 13 sq. p. 44 sq.

§. 65 Desumit id ex l. 27. pr. ad L. Jul. de adult. junct. l. 13. §. fin. de accusat. Sed paululum obscure, quapropter mentem ejus enarrabimus distinctius. Casum quendam proponit Ulpianus a) de servo adulterii accusato. At Venulejus de accusatione servorum ita scribit b). Omnibus autem legibus servi rei fiunt, excepta lege Julia de vi privata, quia ea lege damnati partis tertie bonorum publicatione puniuntur, quæ pena in servum non cadit. Item quæ dicendum est in ceteris legibus, quibus pecuniaria pena irrogatur, vel etiam capitio, quæ servorum pœnis non convenit, sicuti relegatio.

tio. Concludit igitur ex his duobus Jureconsultorum locis Theodoricus, pœnam adulterii ex lege Julianæ non fuisse relegationem, quoniam servi, ex concessis ab Ulpiano, adulterii ex lege Julianæ fieri potuerint, quibus tamen pœna relegationis secundum tradita Venuleji applicari haud potuerint. Sed ut de Venulejo incipiam, quemadmodum de mente ejus in præfato loco non omnia plane sunt, ita maxime de sensu verborum *sicuti relegatio* Glossa variantes interpretationes producit, quarum illa non est improbabilis, sensum esse: *sicuti relegatio*, supple convenit, quam expositionem non saltem juvat, quod ex doctrina Pauli c) & Callistrati d) relegatio non comprehendatur sub pœnis capitalibus, sed & quod Ulpianus e) doceat & rescriptum Imperatoris Constantii f), non amplius dubitare permittat, servos relegatione fuisse punitos. Unde frustra ex Mureto ratione in adducit Theodoricus, cur servi relegatione non fuerint puniti, ne scilicet relegatio ipso in beneficium cederet, quod libertate donarentur, quasi vero servus non etiam in loco, in quem relegatus fuisse, potuerit in servitute retineri. Deinde quod Ulpiani locum spectat, non quidem urgebo: glossam asserere, eum ibidem g) non de servo adulterii accusato loqui, sed de accusato tertio quodam, in cuius caput servus torqueri debebat. Nam sufficit, quod Ulpianus non dicat, servum ex lege Julianæ de adulterio fuisse accusatum. Poutuit igitur de adulterio accusari, non ut puniatur ex lege Julianæ relegatione, sed ut extra ordinem gravius, quam conjecturam iterum Venulejus suppeditas b).

a) d. l. 27. pr.    b) d. l. 12. §. fin.    c) l. 2. de publ. Jud.    d) l. 28 §. 1. de pan.    e) l. 2. qui & a quibus manumiss.    f) l. 2 C. de sepulcro violato.    g) scil. in pr. d. l. 27. ad L. Jul. d. adulst.

b) d. l. 12. §. ult. in fin. de accus conf. Ant. Matth. de crimin. ad lib. 48. tit. 13 cap. 3. n. 1.

§. 66. Ex lege Julianæ itaque nec stupri nec adulterii pœna capitalis erat, quo vero tempore talis esse ceperit, & an jam tempore Diocletiani, Doctores dubitant. Nobis haud improbabilis videtur sententia Wissenbachii a) & Jacobi Gothofredi b), id negantium & ostendentium, legem Diocletiani c), quæ hanc in rem afferunt, a Triboniano fuisse interpolatam. Constantini vero Magni tempore capite plexos fuisse adulteros, non videtur negari posse, tum quod Justinianus d) laudet Constantini de pœna san-

na sanguinis adulterii constitutionem, tum quod in Codice repetitae prælationis diserte legatur Constantini constitutio e) his verbis adulterium coercens: *Sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet.* Sed quemadmodum hæc verba in codice Theodosiano f), unde constitutionem istam desumsisse Tribonianum probabile est, non leguntur, ita jamdudum observarunt Cujacius g), Petrus Faber h) & Jacobus Gothofredus i), verba ista Tribonianum ex Constitutione Constantii & Constantis k) in legem Constantini patris transtulisse, ac dictam Constantini constitutionem a Tribonianō emblemate l) non uno m) fuisse deformatam. Quod igitur Justiniani Novellam concernit, quamvis Cujacius n) cum aliis putet, Imperatorem per etrem patri tribueret, quod filius Constantino & Constanti dandum erat; nescio tamen, annon commodius sit, si dicamus, Tribonianum ejusdem Novella fuisse autorem, ac studio constitutionem istam ob emblemam modo memoratum, (quo videlicet constaret sibi) Constantino vindicasse.

a) ad Pand. tit ad L. Jul. de adult. tb 19. & in Emblem. Tribon ad l 18 C. de transact p. m. 297. b) ad l. 4 Cod. Theod. quorum appell. non recip. f. m. 297. c) d l 18 C de transact. d) Nov 134. c. 10. e) l 30. §. 1. C. de adult. f) vid l 2 C Theod. ad L. Jul. de adult. g) add. Nov 134. b) lib. 3. Semestr. c. 21 p. m. 331. i) add. l. 2. C. Theod. ad L. Jul. de adult. & add. l. 4 quorum appell. non recip. k) d l. 4. C. Theod. quor. app. l) quod tamen miror a Wissenbachio emblematum horum collectore non fuisse notatum. m) nam ulterius in eadem lege verba si voluerint, a Tribonianō esse adjecta notat idem Gothofred. ad d. l. C. Theod. ad L. Jul. de adult. n) add. Nov. 134.

§. 67. Sunt vero notabilia Constantii & Constantis verba, quibus pari similitudine ratione sacrilegos nuptiarum tanquam manifestos parricidas insuere culeo vivos, vel exurere jacent a). Parricide vocantur adulteri ab imperatoribus, quod spes & securitas omnis parentelæ & cognationis hoc crimen enecetur, matrimoniumque, per quod omnis cognatio, paternitas & parentela existit, per idem violetur b), per sacrilegos vero nuptiarum Petrus Faber c) illos intelligit, qui plures simul uxores aut unam alteri jam desponsatam, temerata sacramenti, hoc est vel jurisjurandi, vel ipsius connubii (ex hypothesi videlicet Pontificia jam supra d) notata) religione uxorem ducunt, quippe quoniam istud sine sacrilegio non fieri, tam ex Trullianæ Synodi canonibus c), quam ex Francica Caroli M. f) lege appareat, cuius hæc verba sunt: *De conjugali autem velatione requisisti, si desponsatam alii puellam alter in matrimonium possit accipere.* Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus, quia

illa benedictio, quam nuptiae imponit sacerdos apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur. Sed rectius ex generalitate verborum, per sacrilegos nupciarum quosvis adulteros denotari, observat Gothofredus g), cum & illo ævo & in aliis istius Codicis constitutionibus, omnes illa sacrilegorum voce indicari soleant, qui rem quamcunque sacram violent, veluti leges iussaque principum &c. quod ex ejusdem Glossario, Codici Theodosiano subjecto b), prolixius videre est.

a) d l 2. b) Jac. Gorbofr add.l. 2. c) d.l. d) §. 59. e) can 99. sexta Synodi ubi Balsamon. f) lib. 1. c. ult. secundum ecclesiasticos Conciliorum canones. g) add l. 4. Cod. Theod. h) voce: sacrilegium.

§ 68. Cæterum non solum adulteri, sed & foeminae adulterium committentes temporibus Theodosii, Valentiniani & aliorum Imperatorum ante Justinianum capitali poena sunt affectæ. Ita enim refert Ammianus Marcellinus a): *Tunc Cethegus Senator, adulterii reus delatus, cervice periit abscissa.* Et aliquanto post b): *Nec minus foemina quoque calamitatum participes fuerent simili, nam ex hoc quoque sexu peremptæ sunt originis alie complures, adulterorum flagitiis obnoxiae vel superrorum, inter quas notiores fuere Claritas & Flavia. Justinianus vero adulteriis hanc capitalem poenam circa mares quidem immutavit, at circa foeminas leniorem gledio poenam imposuit c).*

a) Lib. 28. p. m. 385. b) p. m. 387. c) Nov. 134 cap. 10.

§. 69. Stupri vero poena, uti ex lege Julia relegatio a) fuit, ita eadem successu temporum in capitalem mutata non legitur. Et quamvis Paulus b) scripserit, non solum eum, qui puer, sed & qui mulieri puellæve stuprum intulerit, perfecto flagitio capite puniendum esse, recte tamen jam notavit Alciatus c), poenam capitalem saltem fuisse irrogatam, si extra ordinem reus fuerit accusatus, puta si tales affuerint circumstantiae, quæ insignem improbitatem arguerent, quarum exempla quædam refert Antonius Matthæi d). Idem dicendum erit de exemplo, quod modo ex Ammiano recensimus, cui simile, quod apud eundem statim e) sequitur: *Abienus exaggerato crimen stupri, quod intulisse dicebatur Anepsiæ morte multatus est.* Quanquam multa etiam in exemplis Ammiani facta magis quam jure perpetrata fuisse dicere possis. Nam ipse memorat f), a Prætextato & aliis Valentinianum fuisse rogatum, ne delictis supplicia sint grandiora, &c in processu Anepsiæ alia quædam contra legum veterum clementiam fuisse usurpata observat g).

a) S. 4. Inst. de publ. judic l. 6 ff. ad L. Jul. de adult. b) l 1. S. ult. c) l. 5. Paral. cap. 10. d) de crimin. tit. 48. tit. 3. c. 5. n. 8. p. m. 412. e) d. lib. 28. p. m. 390. f) p. m. 386. g) p. m. 391.

§. 70.

§. 70. An igitur inter circumstantias, quæ stupri poenam capitalem faciebant extra ordinem, etiam bigamia virilis numeranda est. Ita putat quidem Theophilus *a*), idemque inculcat Ludovicus Romanus *b*), sed uterque fundamento destitutus. Nam in constitutione Valeriani *c*), ad quam Romanus provocat, nihil ea de re extat, & ex angelo Aretino notat Nicolaus Pignolatus *d*) vehementer errare punientes capitaliter. Similem respon- sionem meretur distinctio Grammatici inter bigamiam & trigamiam facta, dum ad hanc ex mente juris Romani poenam gladii applicat, quod jam ob servavit Menochius *e*). Ex vero igitur scriptum reliquit Imperator Caro- lus V *f*) leges Justinianaeas capitali poena in bigamiæ crimen non animad- verere, cum & maritus hoc crimen committens poena saltem stupri ordi- naria fuerit punitus, foemina vero binas nuptias celebrans a Justiniano poena capitali adulterii iterum fuerit exenta.

*a) ad I. affinitatis, & seq. Inst. de nuptiis. b) Singul. 537. c) d. l. 18. C. ad L. Jul. de adult. d) addit ad Roman. d l. e) de A. I. Q. cas 420. n 98. & 101. f) d art 121 const. crim. verb und wieviel die Kaiserl. Rechte auf solche Ubelthat keine Strafe am Leben sezen.*

§. 71. Jure Canonico bigamos infamia sequitur *a*), ac praeterea non est dubitandum, quin & in iis poena adulterii, quæ in Clericis est depositio, in Laicis autem excommunicatio *b*), locum habeat. Ad ostendendam vero ignominiam mulieri bigamæ incidentur capilli, & vestis pars anterior & posterior absinduntur. Quamvis alii statuant, virum abscessis pannis ante & retro, mulierem vero incisis crinibus puniri *c*).

*a) c. 4. X. de bigam non ordin. b) cap. Clerici X. de excessibus pralat. & cap. 6. X. de adulter. c) Farinacius qu 140. n. 19.*

§. 72. Ex constitutione Carolina *a*), ut de jure Saxonico *b*) poena gladii in bigamos quidem est ordinata (quanquam antiquitus Dni Scabini Lipsiensis in responsis, quæ a Gilhausen *c*) adducuntur, poenam fustigationis dictaverint.) Sed eandem tamen non obtinere tum in eo casu, si sponsus aliam superinduxerit, tum si pars innocens, quæ a thoro & mensa conjugis separata est, bigamiam contrahat, propter tradita a Carpzovio *d*) arbitramur. Illo etiam casu poenam gladii cessate, cum concubitus non sit secutus, ex Constituzione Electorali *e*) liquet. Sed & jam supra *f*) monitum fuerit, neque hoc casu proprie bigamiam committi.

*a) d. art. 121. b) Part. 4 const. 20. c) Arb. crimin. cap. 2. tit. 19. d) quo crimin 56. n 36 seqq. & qu 61 n 53. seqq. e) d. const. 20. f) §. 54.*

§. 73. Quomodo apud alias gentes bigamia punita fuerit, prolixius re- cense-

censere tedium foret in Hetruria vir plures uxores habens, sedens super a-  
sino mitratus per civitatem fustigatur cum duabus seu pluribus connochiis  
in fuso fila ducuntur, mulier autem quae plures viros accepit, totidem bireta  
super capite defert & pariter super asino publice fustigatur a). Galli fur-  
cam adhibent, referente Mornacio b). Hispani stigma c), Frisiis placet fu-  
stigatio cum relegatione d).

a) Farinac. d q. 140. n. 11. b) ad l. 1 ff de his qui not infam. c) teste Co-  
varr. P. 2. de matrim. c. 7. §. 3. n. 10. d) Sand. decis lib. 5. tit 9. defin fin.

§. 74 Cæterum cum ab initio deductum fuerit, bigamiam jure divino  
positivo universalis vetari, sequitur: principem, qui his quoque legibus sub-  
est, in ea dispensare nequaquam posse, quod & a Pontificiorum nonnullis  
conceditur, afferentibus, ne Papæ quidem dispensationem hic valere a). Sed  
anno saltem quoad poenam dispensatio locum habebit? Affirmandum hoc  
erit ex communij Ctorum hypothesi, statuentium, Principem in adulterio  
simplici poenam remittere posse, quæ sententia latius deducta est in responso  
quodam inclivæ Facultatis in Alma Viadrina b). Nobis momenta contro-  
versæ in eo videntur consistere: Initio præsupponendum: Principem re-  
gulariter in delictis, quorum poenam Deus per modum legis universalis de-  
terminavit, dispensare non posse c). Deinde inquirendum, an poena, adul-  
terio in legibus Mosaicis dictata, sit juris universalis, an forensis saltem d).  
Quod si ex jure universalis veniat, tum porro ostendendum, eandem recte ex-  
tendi ad polygamiam muliebrem. Porro videndum esset, an adulterii restri-  
ctio, quatenus iempe jure Mosaico saltem cum uxore, non cum marito alie-  
no committitur, etiam cæteris gentibus prosit, an saltem ad Iudeos spectet.  
Denique si ex intentione Dei maritus cum soluta adulterio committens a-  
pud reliquias gentes capite debet plecti, sponte videtur exinde fluere, eandem  
poenam etiam ad polygamiam virilem extendi. Sed nihil definitio. Illud ex-  
peditum est, bigamia poenam a iudicibus non debere mitigari, etiamsi con-  
jux per eandem lesa coiugii ignoscere, & pro eodem intercedere velit e).

a) Farinac. d qu. 140 n. 33. b) quod refert Magnif Dn. Stryke annot. ad  
Brunnem, jus eccles l 2 c. 16. § 1 p. m. 571. sq. c) vid. dict. respons. p. 572.

d) prius afferit idem responsum p. 573. conf. que habet Dn. Praeses ad  
Strauch Exerc. ult. lib. 30 p. 458. sqq. e) Carpz. qu. crim. 66 n. 39. sqq.

§. 75. Nihil jam restat, quam ut disquitamus: Quo tempore crimen bi-  
gamiae præscribatur? Sed de hoc propediem, Deo dante, cui interiam pro-  
hactenus concessis viribus sit Laus & Gloria.

F I N I S.

DISPU-



DISPUTATIONIS  
DE

PRÆSCRIPTIONE BIGAMIÆ,  
P R A E F A M E N.

**S**Isto nunc alteram partem dissertationis de Crimine Bigamiæ, quæ separatim de hujus delicti præscriptione tractat, ut fidem nuper datam liberem. Selegi vero argumentum Dissertationis ex materia Criminum, non solum quod hæc sit in foro versantibus utilissima, sed & quod deprehenderim, eam rariorem esse, nec uspiam ex professo, quod dici solet, expositam, præterea disceptationis difficilioris, in qua ingenium exercere possem. Quamvis enim jam Carpzovius alicubi notaverit: Insignium & Clarissimorum JCtorum Scripta Criminalia hæc tenus bene multa fuisse edita, quibus evolvendis hominis vita quantumvis diuturna vix ac ne vix quidem sufficere possit, quod prima fronte quivis vel solius Farinacii operibus criminalibus convictus lubens fateri necesse habebit; idem tamen jure veretur; ne per istas variorum Commentationes ceu tenebris quibusdam mirum in modum involuta sint jura criminalia. Quod si enim ex antiquioribus v.g. Farinacii (nam qui hunc novit, omnes novit) scripta evolveris, nil nisi improbum eius laborem admirari poteris, suppeditantem tibi quasi locos communes ex barbaris Glossæ idololatris collectos. Si judicium quæsiveris, quamvis Diogenis lucerna sis instructus, frustra adhibebis industriam. Ita omnia pro autoritate determinare voluerunt antiqui isti rerum criminalium scriptores. Quod si leges adhibent, plerumque eadem a glossa ita sunt infectæ & contortæ, ut risum sæpius cohibere vix valeas. Non diffitendum equidem: post hos dari quosdam elegantioris literaturæ JCtos, qui magis delestant, magisque

G

adju-

adjuvant, sive antiquitatem historicam & juris Romani tradita expetas, sive quæstiones in foro quotidie occurrentes venari cupias, ex quibus, qui palmam reliquis dubiam faciunt, Antonium Matthæi a Benedictum Carpzovium nominasse sufficiat, sed nec tamen negari potest, & hos in hoc argumento utilissimo multa reliquissæ, in quibus operam impendere proficuum possit veræ Philosophiæ, hoc est Jurisprudentiæ addiætus. Igitur quæ in præsenti exhibeo, æqui bonique consule, Amice Lector & fave.

## S U M M A R I A.

*Status controversie §. I.* Præscriptionis homonymia §. 2. Præscriptio criminum definitur §. 3. An præscriptio criminum justa sit? §. 4. Utrum jus naturæ præcipiat delicta esse punienda §. 5. Præscriptio Criminum directo non liberat a pena, sed ab actione criminali §. 6. Quomodo lapsus temporis producat effectus morales §. 7. Cur hic lapsus temporis in republ. defini ri debeat §. 8. Sedes doctrinae de præscriptione criminum in jure Romano §. 9. Ejus usus modernus in imperio §. 10. Connexio dicendorum §. II. Præscribuntur vicennio crima omnia etiam extraordinaria, etiam privata. §. 12. Etiam capitalia & atrocissima etiam occulta: rejicitur distin ctio Farinacii §. 13. Vicennium hoc loco est continuum non utile §. 14. Et computatur naturaliter non civiliter §. 15. Exceptions a regula de præscriptione vicennii §. 16. Proponitur communis Doctorum exceptio de criminibus, quæ nequidem vicennio prescribuntur §. 17. Rejicitur illa quoad crimen Apostasie §. 18. Quoad crimen partus suppositiū §. 19 20. Parcidiū §. 21. Et quoad reliqua crimina a Dd. excepta §. 22. 23. Altera exceptio de criminibus minori pœnæ prescribendis, qualia sunt crimina lege Julia de adulteriis notata §. 24. Ut stuprum, sub quo continetur sodomia. Notatur Anton. Matth. §. 25. Adulterium item, quod jure Digestorum triplice tempore prescribatur §. 26. An & jure Codicis? Exponitur l. 18. C. de adulteriis §. 27. Excipiuntur adulterium cum incestu junctum & stuprum violentum §. 28. Quedam alia crimina ad L. Jul. de adulteriis spe. Elaverint §. 29. An & incestus eo pertinuerit? rationes pro affirmativa §. 30. Quibus respondetur & contrarium ostenditur ex l. 4. de question. §. 31. Erroris istius origo mala expositio Glossæ §. 32. Defenditur ulterius ac explicatur Sententia Ulpiani d. l. 4. de question. §. 33 34. Exponitur locus Ammi-

Ammiani Marcellini §. 35. Incestus absque adulterio vel stupro quo tempore prescribatur §. 36. Adulterium quo tempore prescribatur de jure Saxon. §. 37. Rationem indulti quinquennii in criminibus lego Julie non esse clandestinitatem delictorum ista lege notatorum §. 28 39. Liberat prescriptio criminum non solum ab accusatore, sed & ab officio judicis § 40. Debet itaque Iudex eam omissam ex officio supplere §. 41. Quatenus prescriptio criminum a pena libereat? §. 42. An ea opponi possit, si delinquens per viennum fuerit in fuga §. 43. Utrum confessio post vicennium facta obvet prescriptio? §. 44. 45. Resp. ad principalem questionem: Quo tempore crimen bigamia prescribatur. Rejiciuntur 1) opinio eam nunquam prescribi. §. 46. Rationes pro 2) opinione, quod bigamia prescribatur viennio. §. 47. Probatur sententia 3) eam prescribi quinquennio. §. 48. Computari tamen debet quinquennium a die bigamiae finita §. 49. Quot modis bigamia finitur §. 50. Finitur etiam, si conjux innocens prior conjugium per sententiam judiciale curaverit dissolvi §. 51. non vero si defacto conjux prior aliam duxerit. §. 52. Finitur bigamia, si bigamus penitentis duabus se ab altera conjuge separaret §. 53. nec opus hic erit sententia judiciali. §. 54. Quinquennium non habet locum jure Saxon. in bigamia duplicata §. 55. Respondeatur ad rationes sententiae secunde §. 56. 57. 58. 59. Conclusio & prejudicia duo Dominorum Scabinorum §. 60.

## §. I.

**Q**uestio, de qua praesens discursus instituetur, est: *Quo tempore crimen bigamiae prescribatur?* Ad cuius decisionem antequam perveniamus, sciendum prius est, quid sit bigamia? quid item sit prescriptio criminum? Ac de bigamia quidem nuper abunde disseruimus, restat igitur ut de prescriptione criminis quedam praenotemus.

§. 2. Prescriptio sumitur vel pro acquisitione juris a) seu qualitatis moralis activæ, vel pro liberatione a qualitate morali passiva, hoc est, obligatione b). Priori modo actionem producit, posteriori, quo hujus loci est c), exceptionem d), qua voce tamen hic in lata acceptance e) uti liceat, prout sub se modos tollendi obligationem ipso jure comprehendit, quales communiter a Doctoribus solent exceptiones facti appellari. Nam & prescriptio ipso jure aliquem ab obligatione liberat f). Intelligitur autem hic per prescriptionem exceptio illa in specie, quæ in

tempore fundatur g), quamvis alias in genere quælibet exceptio præscriptionis nomine venire soleat b).

a) l. un. Cod. de usuc. transform. b) t. t. ff de diversis temporalibus præscript. junct. t. t. C. de præscript. 30. vel 40. ann. c) l. 12. C ad l. Corn. de salis. d) l. 8. J. fin. G. de præscript. 39. l. 40. an. e) uti accipitur etiam in l. penult. ff. de Publ. in rem act. f) l. si pupillus 45. de administr. & peric. tut. junct. l. 53. ff. de solut. l. un. C. de usucap transform. l. 3. C. de præscript. 30. & 40. ann. Zang. Part. 3 c. 10. n. 17. seqq. g) ut in rit. de divers. & temporal. præscript. b) Rubr. ff. C. de except. & præscript. l. 11. & pen ff. eod. t. 8. l. pen. & ult. C. eod.

§ 3. Definimus ergo præscriptionem criminum, quod sit liberatio ab actione criminali per lapsum temporis lege definiti.

§ 4. An vero crimina salva iustitia naturali præscribantur? quæstio præjudicialis est; Sane ex communi Doctorum opinione inter præcepta juris naturalis refertur: reos esse puniendos, quod præceptum maxime violari videtur, si eadem princeps, qui sub lege naturali est, impunita propter solam temporis diuturnitatem relinquit, cum lex naturæ obliget perpetuo, & quod semel ea lege injustum est, mille annis non possit fieri justum. Ut ratiocinio utilitatem Reipubl. cuius maxime interest, delicta non manere impunita, quod frequenter inculcarunt JCti Romani a). Sed ad ea facilis est responsio, etenim principaliter præscriptio criminum non eum in finem est inventa, ut delicta, de quibus aliquis convictus est, impunita maneant, sed potius, ne propter summam factorum incertitudinem ex temporis diuturnitate provenientem innocentes, in quos suspicio criminis alicujus cadit, indebita afficiantur poena, aut beneficio defensionis priventur, quod & ipsum post longum temporis lapsum propter interitum probationum maxime difficile redditur b). Igitur directo præscriptio criminis non intendit remissionem delicti, de quo constat, sed potius remissionem actionis super delicto dubio. Quemadmodum enim in civilibus causis præscriptio temporis necessaria visa est, ut esset litium aliquis finis, nec semper incerti cives de dominio rerum suarum: ita eadem necessaria visa est in causis criminalibus, ut accusationum aliquis finis esset, nec semper incerta spe atque expectatione penderent, quicunque criminis alicujus insimulantur c).

a) l. 13.

## DE PRÆSCRIPTIONE BIGAMIAE.

53

- a) l. 13 pr. de off. præsid. l. 9. §. 5. de public. & vettig. l. 51. §. 2. ad l. Aquil.  
b) vid. Lauterb. disp. de prescript. crim. lib. 10. c) Anton. Matth. de  
crim. lib. 48. cit. 19. n. 4 pr.

§. 5. Deinde nescio, an veritate nitatur commune istud assertum, quod vult; jus naturæ præcipere, delinquentes esse puniendos. Sane nulla ratione asséqui possum, quomodo, ea doctrina assumta, in salvo esse possit jus aggratiandi, quod tamen uno ore Principi tribuunt Politici atque JCTi. Et ut a priori etiam ista hypothesis infringatur, constet: pœnam esse dolorem, qui propter delictum infligitur a superiori communis emendationis, ac per consequens etiam assecurationis & tranquillitatis publicæ gratia. Finis igitur omnis pœnæ, quatenus ex lumine rationis demonstrari potest, est utilitas Reipubl. Respubl. vero vel is, qui in ea summam potestatem habet, pro utilitate pœnas infligit. Nunquam autem lex naturalis obligat aliquem, ut utilitatem suam procuret, quin potius regula vulgaris docet: quemlibet juri suo ac utilitati renunciare posse; magis igitur ex vero pœnæ impositionem Grotius a) haclenus ex jure naturali descendere dicit, quod id dictetur, non debere, sed posse puniri eum, qui deliquit. Quamvis ob hanc causam communiter a Commentatoribus suis vapulet b), sed immerito.

- a) de J. B. & P. l. 2. c. 20. §. 3. b) vid. Dn. Ofiand. obs. add. l. §. 4. Varent. Veltbem. ad d l. 9. 3.

§. 6. Diximus: a) præscriptionem criminum directo intendere remissionem actionis super delicto dubio, non remissionem pœnæ, delicto certo impositæ hinc & in definitione posuimus verba: quod sit liberatio ab actione criminali. Atque idem inculcant leges Romanæ: prohibent enim, ne excitetur scil. per actionem criminalem crimen per præscriptionem sotium b), docentque querelam de crimine excludi per præscriptionem c). Hinc & accuratius non simpliciter crimen, sed questionem de crimine præscribi d) afferuerunt, etsi usus modernus Doctorum velit, ne phrasin istam præscribere crimen amplius respuamus.

- a) §. 4. b) l. 29. §. 5 ad l. Jul. de adult. c) l. 12. C. ad l. Corn. de falsis.  
d) l. 3. de requir. vel absent damn.

§. 7. Reliqua definitionis verba quod attinet, videri quidem dubium poterat, quomodo lapsus temporis, qui haud

G 3 dubie

dubie est ens physicum, vel certe effectio entis physica, possit producere liberationem ab actione, quæ est effectus moralis, cum tamen dictum modo <sup>a)</sup> sit, nec lapsus mille annorum ex justo posse facere iniustum, aut vice versa. Sed ad hæc tenendum est, tempus ipsum sibi relictum nullam effectum moralem producere, sed effectum horum, ut omnium entium moralium, causam esse voluntatem, & quidem respectu horum effectuum, qui occasione temporis oriuntur, esse voluntatem humanaum, quæ vel in dubio ex lapsu temporis diuturni colligitur, quod optime demonstravit Grotius <sup>b)</sup>, vel expresse effectum moralum per determinationem & adjectionem temporis aut suspendit aut terminat, ut adeo frustra & sine ratione prægnante JCi Romani statuerint, perpetuari obligationem meam, si Titio decem in singulos annos, quoad vixerit, dare spöonderim, etiam post Titii mortem, quia tempus non possit esse modus tollendi obligationem <sup>c)</sup>. Nam quemadmodum ad hanc rationem facile ex dictis responderi potest; ita & conclusio, quam exinde deduxerunt, est nullius momenti, subtilitatisque inutilis. Etsi enim perpetuetur mea obligatio, non tamen cogor aliquid præstare, sed libero me per exceptionem pacti vel doli <sup>d)</sup>. Quod idem est, acsi dicerem dabo tibi vestimenta, sed hac conditione, ut nudus incedas.

<sup>a)</sup> S. 4. <sup>b)</sup> lib. 2. cap. 4. S. 6. seqq.

<sup>c)</sup> S. 3. Inst. de V. O. l. 44. S. 1. l. 56. S. 4. ff evd. <sup>d)</sup> dd. text.

§ 8. Igitur in præscriptione criminum non tam tempus est causa præscriptionis, quam voluntas principis, temporis lapsus saltem ut requisitum aliquod præscriptionis requirens. Innuit hoc definitio nostra, dum dicit: *per lapsus temporis lege definiti*. Considerat vero princeps in indulgenda præscriptione criminum, ut diximus, incertitudinem delictorum & difficultatem probandæ innocentiae, quæ et si pro varietate circumstantiarum varient, ita ut hoc delictum decennio, alterum vicennio, tertium quinquennio & ita porro difficulter detegi possit, & innocentia rei quoque in uno delicto per longiorem temporis tractum facilius probari possit, quam in altero, adeoque dicendum videri possit, temporis lapsus non in genere a principe definiri debere, sed arbitrio judicis esse relinquendum: quoniam tamen hic controvertitur, de re magni præjudicij, & frequentius

## DE PRÆSCRIPTIONE BIGAMIAE. 11

quentius de vita hominis, non facile debet princeps judicis arbitrio, qui affectibus saepius est obnoxius, ejusmodi determinationem committere, præprimis cum & præscriptio criminum fundet se in utilitate publica, cuius æstimatio principaliter ad solum principem pertinet. Per principem autem hic intelligo quemvis, qui habet τὸ νόμον in civitate.

§. 9. In Republica Romana regulariter vicennii tempus præscriptioni criminum fuit præfinitum. Innuunt hoc Imperatores Diocletianus & Maximianus. Querela falsi, inquit a), temporalibus præscriptionibus non excluditur, nisi viginti annorum exceptione sicut catena quoque fere crima. Autores vero hujus determinationis videntur fuisse Severus & Antonius Imperatores, quod ex loco Marciani colligi poterit b). Quamcumque questionem, ait, apud fiscum, si non alia sit præscriptio, viginti annorum silentio præscribi Divi Principes voluerunt. Memoraverat autem paulo ante c) Marcianus dictos Imperatores. Parallela his sunt, quæ dicit Hermogenianus: In omnibus inquit d), fisci questionibus, exceptis causis, in quibus minora tempora servari specialiter constitutum est, viginti annorum præscriptio custoditur. Jamdum vero apud Græcos Solon crima silentio vicennali extingui sanxerat e), quem forte & Romani in sua determinatione respexerunt.

a) l. 12. C ad L. Corn. de falsis.  
b) l. 3. ff. de requir. vel absent. damnand.  
c) l. 1. pr. ff. eod.  
d) l. 13. de divers. temp. præscript.  
e) vid. Lauterb. d. disp. tb. 2.

§. 10. Hanc de criminum præscriptione determinationem juris Romani servant non solum mores hodierni in Imperio Romano, sed nec ab ea jure Saxonico recessum est. Nullum tamen est dubium, quin hanc determinationem in imperio Romano mutare possint respectu totius imperii Imperator, sed cum consensu statuum, respectu singulorum territoriorum vero status ipsis, item Nobiles immediati & civitates Imperiales, non autem mediati, nec municipales a).

a) hec omnia latius executus est Lauterb. d. l. tb. 3-30.

§. 11. Ut vero distinctius intelligatur, quinam juris Romani disponentis, quid crima vicenio regulariter presribantur, sensus sit, secundum ductum singulorum vocabulorum expemus, i. qualia crima vicenio presribantur, i2. quomodo compute-

putetur vicennium, 3. quænam crima ab hac *regula* eximantur,  
 & 4. quænam sit *præscriptionis* hujus efficacia.

§. 12. Præscribuntur vicennio *crimina omnia*, quæ non in  
 specie sunt excepta *a*), ergo etiam extraordinaria *b*), ergo etiam  
 privata, quatenus de iis criminaliter agitur *c*). Cæterum an &  
 delictis dantur, an item præscriptio vicennalis in accusatione v.g.  
 injuriarum criminali locum habeat, & quæ possunt esse quæstio-  
 nes similes, hic definire non vacat, cum ad scopum nostrum ni-  
 hil faciant *d*). Id nobis certum videtur, quod afferit Dn. Lau-  
 terbach. *e*) in publicis delictis, elapso licet vicennio, adhuc civi-  
 liter & ad interesse ac damna illata resarcienda agi posse, ex con-  
 stitutionibus Carini *f*) & Diocletiani *g*) non probari, cum in hac  
 posteriori ne iota reperiatur, quod ad præscriptionem vicennii  
 trahere possis, & in illa quamvis dicatur, civiliter queri posse de-  
 fide scripturæ, etiamsi criminaliter cœptum judicium interven-  
 tu indulgentiæ sotpum sit, tamen per illam indulgentiam non in-  
 telligi præscriptionem, sed abolitionem, cuivis, ut puto, apparet:  
 nec aliter intellexerunt *Glossa* & *Gothofredus* in commentariis  
 suis.

*a*) Probant hoc evidenter textus supra §. 9. descripti. *b*) arg.  
*rubr. de extraord. crimin.* *c*) Lauterbach. *d.l. thes. 12.* *d*) vid tamen  
*Lauterb. d. b. 12.* Anton. Matth. *d. tit. 19. c. 4. n. 6 seq.* Farinac. *Oper.*  
*crim. lib 1. qu. 10. n. 34.* Gebhard. *de usucap. c. 3. n. 13 p. m. 522.* *e*) *d.*  
*sb. 12. in fin.* *f*) *l. 9. G. ad L. Corn. de fals.* *g*) *l. 16. C eod.*

§. 13. Ulterius sive crima sint capitalia sive non capita-  
 lia, sive atrocia, sive atrocissima, sive facti transeuntis sive facti  
 permanentis, præscriptio vicennalis in iis habet locum *a*), quia  
 lege non distingue nec nostrum est distinguere. Sed quid  
 si crimina sint, quæ occulte fuerint commissa? Ex idenditate ra-  
 tionis idem erit dicendum *b*). Neque distinguimus cum Fari-  
 nacio *c*), utrum delictum tali modo sit occulte perpetratum, ut  
 curiæ sive accusatoris potuisse in notitiam curiæ devenire, an  
 vero ita sit occultum, ut per quamcunque diligentem inquisitionem  
 non potuerit de eo notitia haberi. Etsi enim pulchram  
 vocet hanc distinctionem Farinacius, veramque credat asser-  
 tionem, quod priori casu currat præscriptio vicennii a tempo-  
 re de-

re delicti commissi, quia curia vel accusator sibi imputare debeat, quod non adhibuerint diligentiam debitam, posteriori vero etiam post vicennium actio criminalis possit institui, quoniam hic nihil possit imputari fisco; quem doctrinam etiam videmus placuisse Theodorico *a*): nobis tamen eadem fundamento institui omnino videtur, cum Farinacius nullam aliam ejus affectat rationem, quam quod præscriptio inducta sit propter negligentiam. Hanc enim causam minus genuinam, certe non principalem, esse ex iis, quæ supra *e*) diximus, patet: Quin potius ex rationibus ibidem adductis inferimus contrarium. Nam si delictum ab initio ita est occultum, ut per diligentem investigationem non detegi possit, sane post lapsum vicennii probatio ejus, vel ex parte rei defensio innocentiae, si non impossibilis, certe difficillimæ evadent. Igitur si in præscriptione 10. vel 20. annorum, qua res immobiles acquiruntur, nulla scientia vel ignorantia expectanda est: (addo: nec distinguitur: utrum aliquid sciri potuerit vel minus,) quanto minus in hac vicennali præscriptione id desiderandum erit *f*). Ut illud taceam, quamvis in præscriptione actionum civilium non negemus, simul puniri negligentiam privatorum, quod juribus suis indultis intra determinatum temporis spatium non fuerint usi, ad præscriptionem tamen criminum hanc negligentiae penam propter apertam diversitatis rationem accommodari haud posse. Nam accusare respectu actoris, certo inquirere respectu judicis non tam ad facultates morales & jus judicis, quam ad ejusdem obligationem referri debet, qua obstrictus est reipublicæ. Neque puniretur adeo judex aut accusator per id, quod post vicennium amplius actionem criminalem formare non possent, quoniam ipsorum hac parte directo non interest, sed utroque casu lucret negligentiam alienam Respubl. quod forer iniquum.

*a) Lauterbach. th 13. b) vid. Dd. a Lauterb. d. th 13. citatos & Farinac. d. q. 12. n 12. c) d. l. n. 13. d) Colleg. Crim. Disp. 10. tb. 7. lit. d. e) §. 4 f) verbasunt Antonii Matth. d. tit. 19. c. 4. n 9.*

§. 14. Ex his facile constat tempus vicenii hoc loco non utile esse, sed continuum: de initio dubium non relinquent modo dicta. De cursu idem dicendum erit, quoniam leges hic non notant, utiliter tempus computandum esse. In dubio autem

tem præsumetur magis tempus esse continuum, quam utile, quoniam istud magis naturale est. Hic tamen notandum, quod istud initium computandi in criminibus, quæ continuantur trahit temporis sumi debeat non a tempore incepti, sed finiti delicti, v. g. in crimen apostasie, quoniam hoc per omne vitæ spatium continuatur, (nisi quis pœnitens in gremium veræ ecclesie iterum fuerit receptus) adeoque non nisi morte delinquentis finitur, non poterit etiam præscriptio vicennii locum habere, quia deficit initium cursus, adeoque dicitur, quod nullis temporibus hujusque criminis indago arceatur <sup>a)</sup>. Deinde si delicta sint iterata, vicennium computari debet a tempore ultimi delicti commissi. Unde si quis per decennium v. g. latrocinatus est, præscriptio homicidii non numeranda erit a tempore primi anni, sed post decennium præterlapsum. Nam etiam si dicere velles post lapsum vicennii a tempore primi anni præscriptum esse primum homicidium, sufficit tamen, quod tempore ultimi homicidii in fine decennii perpetrati non nisi decem anni præterlapsi sint. Jam vero singula homicidia poenam merentur. Simili ratione, si quis ante decennium falsam scripturam fecerit, eamque hodie dolo malo producat, nova vicennii præscriptione ab hodierno tempore computanda erit opus, cum duo distincta sint, falsam scripturam confidere, &c., eadem dolo malo uti <sup>b)</sup>.

<sup>a)</sup> l. 4. C. de apostatis. <sup>b)</sup> Farinac. d. q. 10. n. 10.

§. 15. Porro in præscriptione vicennii tempus non civiliter, ut dies coepitus habeatur pro completo, sed naturaliter computari debere, distincte probat Dn. Lauterbach. <sup>a)</sup> quem exscribere hic nolumus. <sup>a)</sup> d. l. th. 19.

§. 16. Quæ hactenus de præscriptione vicennii diximus, procedunt regulariter. Dantur vero, uti ab omni regula, ita & ab hac exceptiones, legibus ipsis innuentibus <sup>a)</sup>. Et has quidem duorum generum esse volunt communiter juris interpretes, scilicet ut vel præscriptio vicennalis non sufficiat, vel minoris temporis spatio ad fundandam exceptionem debeamus esse contenti. Prior ex male intellectis legibus ortum duxit, posterior vero jurisprudentie Romanæ est conveniens. De singulari seorsum. <sup>a)</sup> vid. supra §. 9.

§. 17. Dicunt ergo Doctores: regulam nostram limitari in crimi-

crimine suppositi partus, parricidii, hæresis, læse majestatis, apostasie, assassinii, falsæ monetæ, simoniæ, concussionis, abortus &c. In his enim nullam currere præscriptionem, sed perpetuo adversus reos horum criminum inquiri cosque accusari posse <sup>a)</sup>. Quam recte, ex testibus & rationibus, quas adducunt, constat.

<sup>a)</sup> conf. Farinac, d q 10. n. 29.

§. 18. Quod apostasiam quidem res videtur esse confecta propter clara verba constitutionis imperialis <sup>a)</sup>, in tantum, ut & ipse subtilis Wissenbachius <sup>b)</sup> exceptionem agnoscat, rationemque exceptionis suppeditet istam, quod hoc crimen in divinam majestatem committatur, & in eo pœnitentia locum non habeat. Sed contrarium monstrant, quæ jam supra <sup>c)</sup> differimus. Et responsio quidem, quam ibi dedimus, videtur omnium simplissima. Diverse respondent alii. Antonius Matthæi <sup>d)</sup> verbis, nullis temporibus, explicat: id est nullo breviori tempore. Nam, addit, si immortalis esset ea accusatio, etiam mortuo reo quandocunque institui posset. At non nisi intra quinquennium, a morte defuncti computandum, testamentum ejus everti potest <sup>e)</sup>, accusatio igitur immortalis esse nequit. Guazzinus <sup>f)</sup> vero vivente apostata currere quinquennalem præscriptionem, post mortem autem ejus esse perpetuam <sup>g)</sup> statuit, Ilcer Bartolus tradat, quod etiam post mortem tale crimen quinquennali præscriptione claudatur. Denique Jacobus Gothofredus <sup>h)</sup> Imperatores Theodosium & Valentinianum in præscriptio*n*ne <sup>i)</sup> perpetuam hujus criminis accusationem post mortem apostate fecisse docet, sicut apostasie crimen non præscribatur, cum temporariam tantum & quidem quinquennalem esse voluissest Valentinianus Junior <sup>k)</sup>, exemplo querelæ inofficiosi. Quid mirum magis, ita pergit Gothofredus, Tribonianum utramque constitutionem in Codicem suum conjectisse, quæ adeo inter se contrarie sunt, nullaque satis commoda ratione conciliari possunt, quicquid tandem alii distinguant. In singulis his Matthæi, Guazzini & Gothofredi explicationibus non pauca sunt, quæ notari merebantur, si expositio dictarum legum principaliter ad institutum nostrum ficeret.

<sup>a)</sup> l. apostatarum 4. C. de apostat. <sup>b)</sup> ad ff. tit ad leg. Jul. Majest. tb. 14.

<sup>c)</sup> §. 15. <sup>d)</sup> c. 4. n. 4. <sup>e)</sup> hanc dubie reflexit Matthæi adl. 2. C. de a-

H 2 postat.

postat. f) de defensa inquisitorum Def. 2. c. 2. n. 77. g) adductus Guiz. zinus pro sua sententia d. l. 2. & 4. C. de apostatis. b) ad l. 7. C. Thiod. de apostatis lib. 10. tit. 7. i) d. l. 4. C. de apost. k) l. 2. C. eod.

§. 19. In crimine partus suppositi provocari solet ad textum Pauli a): Accusatio suppositi partus nulla temporis præscriptione depellitur, nec interest, decesserit uee ne ea, que partum subdidisse contenditur, ubi quidem quoad verba ultima eorumque intellectum non facile poterit esse dubium, illa eo respicere, si mulier decesserit & alii participes maleficii adsint b). At quod initialia verba attinet, notat equidem Glossa c) tanquam aliquid speciale contra constitutionem Diocletiani quod dicatur: Accusationem suppositi partus nulla temporis præscriptione depelli, sed Antonius Matthæi d) ejusque discipulus Wissenbachius e) putant respici a JCo: d quinquennii præscriptionem, qua adulterii accusatio depellitur, ut sensus sit: si mulier adulterium commiserit & partum supposuerit, quamvis adulterii accusatio quinquennio perimitur, non tamen suppositi partus, eam enim durare annos viginti. Juvat hanc Matthæi explicationem, quod in supra f) recensita Diocletiani & Maximiani constitutione etiam querela falsi non dicatur excludi temporali præscriptione, quam tamen iidem Imperatores statim subjiciunt excludi exceptione viginti annorum, ut adeo stylo juris Romani in materia criminum per temporalem præscriptio- nem videatur tale tempus intelligi, quod vicennio minus est.

a) in ad l. Crim. l. 4. j. 20. b) vid. l. 2. de Carbon. edit. c) ad d. l. 19. §. 1. d) de Crim. ad lib. 48. tit. 2. cap. 4. n. 10. & tit. 19. c. 4. n. 3. e) ad ff. de adult. lib. 14. f) §. 9.

§. 20. Addo, inquirendum esse, annon crimen suppositi partus debeat referri ad delicto, que tractu temporis continuatur. Nam sane crimen ibi incipit quidem a suppositione partus, sed facta semel suppositione crimen nondum est consummatum, sed continuatur tam diu, quam diu suppositus habetur aut venditatur pro partu genuino. Hoc pacto eadem ad hanc Pauli legem esset responsio, quam supra a) de apostasia dedimus, ut ea evadat Pauli sententia. Accusatio suppositi partus, quamdiu partus suppositus vivit, nulla temporis præscriptione depellitur, quoniam præscriptio vicennii demum computatur a consummato delicto, crimen vero suppositi partus vivente partu supposito, nondum consummatum est. a) §. 15. §. 21.

§. 21. Pergo ad parricidium. Et hoc delictum vicennio non præscribi communis est sententia propter doctrinam ejusdem Pauli <sup>a)</sup>: *Eorum qui parricidii pœna teneri possunt; semper accusationem permitti afferentis.* Sed hic per tò semper non intelligi tempus ultra vicennium, sed tempus quinquennio longius ex loco parallelo Venuleji <sup>b)</sup> satis dilucide constat. <sup>a) l.f. ad L. Pomp. de parricid. b) l. 13. ff. de Scto Silan. conf. Matthai & Wiffenb. dd. ll.</sup>

§. 22. Atque hi sunt textus, qui Glossam eamque postea nimis supine fecutos Doctores deceperunt, ut statuerent dari quædam crimina, quæ nec vicennio præscriberentur. (Provocat equidem Farinacius <sup>a)</sup> & ex eo Guzzinus <sup>b)</sup>, quoad crimen abortus ad legem Tryphonini <sup>c)</sup> ego tamen ingenue fateor, me nec personum videre, quale inde extruere velint argumentum.) Quemadmodum autem alias dato uno absurdō sequuntur plura, ita & semel admissa contra mentem Ictorum Romanorum exceptione hæc, non potuerunt non Glossæ admiratores plura crimina a regula communī excepte, quæ jam supra d) dedimus, quamvis aperte esse, exceptiones istas nullo textu nisi. Videbatur enim istis iuris interpretibus inconveniens, apostasiam & parricidium omni præscriptione indigna judicare, heresin vero, blasphemiam, simoniam, læse majestatis crimen assassinum & falsationem monetae sub regula velle comprehendere, cum tamen hæc delicta, si non majora prioribus, certe tamen iis nullo modo videantur esse postponenda.

<sup>a) d. q. 10. n. 29. b) d. cap. 2. n. 74. c) l. Cicero 39. ff. de pœnis. d) §. 18.</sup>

§. 23. Sed urgent tamen Doctores isti pro sua sententia, quod Diocletianus in constitutione sua <sup>a)</sup> præscriptione vicennii quædam crimina innuat esse excepta per particulam fere, quæ sententia falsa esset, si non concederetur, in quædam crimina ultra vicennium inquire posse. Verum salva res est. Poterant per nos Doctores etiam provocare ad textum Marciani, ibidem supra a nobis exhibitum, ubi Marcianus etiam expresse afferit, viginti annorum præscriptionem locum habere, si non alia sit præscriptio. Ex his enim locis nequaquam sequitur Diocletianum & Marcianum voluisse: quædam crimina ne quidem vicennio præscribi, sed potius innuere voluerunt, non nulla crimina minori temporis spatio excludi. Clare hanc explicationem

H 3 suppe.

suppeditat Hermogenianus & ipse supra appositus. Hic enim a præscriptione vicennali non excipit causas, majus tempus desiderantes, sed causas, in quibus minor a tempora servari specialiter constitutum est. a) vid. §. 9.

§. 24 Igitur ordo postulat, ut nunc & de his differamus, non fuse, sed quantum ad scopum nostrum conduit. Conducit vero quam maxime, ut de criminibus, ad L. Juliam de adulteriis pertinentibus, dispiciamus a). De his distincte Ulpianus b) differit: Quinquennium observari legislator voluit, si reo vel rex stuprum, adulterium vel lenocinium objiciatur. Quid ergo si aliud crimen sit, quod objiciatur, quod ex lege Julia descendit, ut sunt: qui domum suam stupri causa prebuerunt & alii similes? & melius est dicere, omnibus admissis ex lege Julia descendantibus quinquennium esse præstitutum. Regulam vidimus ex Ulpiano, jam liceat seorsum de singulis criminibus disquirere eademque, quomodo applicari possint ad regulam, dicere.

a) de reliquis criminibus, quæ tempore vicennio minori præscribuntur, vide Farinacium, Guazzin. Lauerb. dd. ll. b) l. 29. § 6. ad l. Jul. de adult.

§. 25. Ac stuprum quidem quod attinet, nullum est dubium, spectare id ad legem Julianam & expresse legislatorem voluisse, quod præscriptio quinquennii in eo locum habere debeat. Quid vero sit stuprum, lubet exponere verbis Antonii Matthæi a): Stuprum, inquit, in specie ita dictum quidam definiunt illicitam virginis deflorationem. Et hoc imperite, quis enim nescit stuprum committi etiam cum pueri & vidua? quis nescit esse virgines nonnullas, quarum tamen defloratio extra penam legis sit? Igitur ita dictum oportuit: stuprum est corruptio pueri aut viduae aut virginis honestæ b). Sed de pueri stupro, quod frequentius hodie sodomitiam & sodomiticum scilicet appellamus, sequentii capitulo tractabitur. Ex dictis sua sponte sequetur, etiam ex hypothesi Romanorum & ex mente legis Julianæ, stuprum pueri, quod Modenitus c) sub stupri voce comprehendi ait, & Tribonianus dicta lege Julia prohibitum esse docet d), quinquennio præscribi. Unde mirandum, quid eidem Antonio Matthæi venerit in mentem, ut in capite sequenti e) sequentia scribebat: Tempus hujus accusationis, scilicet de crimine sodomiæ, quod attinet, viginti annorum esse puto: Neque enim lex Julianæ, cum stupro accusando quinquennium præfinivit, de Venere monstroso sensisse videtur. Et cum incestus usque ad annum vicesimum accusari possit, absurdum foret, non idem obtinere in flagitiis.

## DE PRÆSCRIPTIONE BIGAMIAE. 63

tio graviore. Quomodo enim legem Julianam de stupro loquenter de Venere monstrosa non sensisse assertere potuit Matthæi, quum in verbis modo datis sub voce stupri etiam corruptionem pueri comprehendendi recte docuerit. Nisi forte dicere velis in loco posteriori Matthæum respicisse magis ad reliquas sodomitæ species, præcipue ad illam nefandam libidinem, quæ cum brutis exercetur; quas sub voce stupri in lege Julia inclusas fuissent non poterit probabiliter defendi, quo tamen pacto inquirendum foret, an hæc crimina nobis quidem Christianis nefanda a Romanis plane pro criminibus fuerint habita, & si id factum fuerit, an non forte alio legis Julij capite ea fuerint prohibita. Alterum autem Matthæi argumentum ab incestu desumptum ad sodomitiam nihil firmi infert. Rationem quippe disparitatis mox dabimus.

a) de crimin. lib. 48. tit. 3. c. 5. n. 2. b) l. inter liberas 6.

§. 1. ff. ad l. Jul. de adult. l. inter stuprum 101. ff. de V. S. §. item lex Julia de adult. Inst. de publ. Jud. c) l. 34. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult. d) d.

§ item lex Julia de publ. Jud. conf. Briss. ad l. Jul. de adult. p. m. 30. Ed. Heidelb. e) d. l. c. 6. n. ult.

§. 26. Pergimus ad adulterium. Et hoc quinquennio prescribi Ulpianus docet sed ex aliis textibus hæc doctrina ita suppleri debet a) quod accusatio adulterii tollatur vel quinquennio continuo ex die admissi criminis computando vel utili semestri. Adultero accusando quinquennium præfixum est adulteræ sex menses utiles a die divorii, qui tamen & ipsi ita computari debent, ne excedant, quinquennium continuum b). Ex mensibus illis sex duo primi, id est sexaginta dies utiles dentur marito ad accusandum jure mariti, id est, ut præferatur aliis & accuset sine inscriptione, nec timeat calumniae poenam, si crimen non probaverit c).

a) vid Wissenb. ad Pand. tit. ad L. Jul. de adult. th 24. b) d. l. mariti 29. §. sex mensium & sqq. l. quinquennium 31. ff eod. l 5. & 28. C. eod.

b. l. §. accusationem ff ad SCrum Turpill. c) l. 6. l. quamvis 30. vers. in pri- mis C. de adult. l. 11. §. quarebatur ff. eod. l. auxilium 35. §. 1. ff. de minor.

§. 27. Et ita quidem distinguebatur secundum jura digestorum. Cæterum jure noviori folam quinquennii præscriptio nem observari ex Bachovio & Treutelero observat Lauterb. a). An vero hæc sententia firmiter ex eis, quæ adducitur, Diocletiani b) lege probetur, valde dubito: Dicunt enim Imperatores,

quod

quod in questione adulterii prisci juris ambages debeant removeri & abolite esse ceteræ præscriptiones preter quinquennii temporis & lenociniti, quod manu obicitur, exceptionem. Hic igitur sub voce præscriptionis, intelligitur exceptio, statuiturque, quod præter exceptionem lenocinii & præscriptionis quinquennii alias exceptiones non debeant habere locum. Quemadmodum vero & iure Pandectarum principaliter præscriptio quinquennii, ut modo vidimus, attendebatur, neque tamen propterea præscriptio semestris aut sexaginta dierum excludebatur, ita quoque posses dicere, Diocletianum in sua constitutione sub præscriptione quinquenniatis subintellexisse, aliasque saltem exceptiones voluisse excludere. Quas vero? Hoc ego jam quidem non definiam c) cum textus sit valde obscurus, ut ejus sententiam vix possis intelligere, etiamsi scholia Gothofredi & commentationem Glossæ & sex summaria a Glossatoribus constitutioni præfixa non superficario studio perlustrares.

a) d. diss. th. 15. b) l. 28. C. ad L. Jul. de adult.

c) conf. interim Ant. Matth. de crim. l. 48. tit. 3 c. 4. n. 15.

§. 28. Quæ vero de quinquennali adulterii & stupri præscriptione dicta sunt, dupli modo limitantur. Nam incestum, qui cum adulterio conjunctus est, præscriptione quinque annorum non excludi, docet Ulpianus a), idemque b), una cum Marciiano c) inculcat eos, qui per vim stuprum intulerint, sine præscriptione temporis accusari posse: cum raptus aut stupri violenti crimen legis Julianæ de adulteriis potestate incedat, & ad legem Julianam de rō pertineat. Utinam vero & Ulpianus primæ limitationis de incestu cum adulterio conjuncto rationem dedisset. Jam silente Ulpiano sicut & Gothsredus & Glossa (quæ plane nihil annotet, ut saepius alias, ita & hic inepte sibi scru-  
pulum movet: an, quemadmodum incestus adulterio junctus præscriptionem quinquennii non admittit, ita nec admittat eandem adulterium incestui junctum. Questio Domitiana quam tamē dubitanter & cum metu Glossa adhibita particula forte affirmat. Non tamens sicut Brissonius d), quia scil. Incestus lege Iulia non coercetur. Demonstrabimus hanc rationem paulo post.

a) l. 39. §. 5. de adult. b) l. 29. §. fin. cod. c) l. 5. in fin. ad L. Jul. de vi-

publ. d) tract. ad L. Jul. de adult. p. m. 131.

§. 29.

DE PRÆSCRIPTIONE BIGAMIÆ. 65

§ 29. De lenocinio, quod & ipsum Ulpianus quinquennio præscribi docet, nihil nunc, quod speciatim notari mereatur, occurrit. Id magis notabile, quod præter hæc tria stupri, adulterii & lenocinii crima Ulpianus afferat, omnia reliqua delicta ex lege Julia descendentia quinquennio præscribi. Quæres enim non sine ratione, quænam sint ista reliqua crimina. Exemplum quidem suppeditat Ulpianus ipse de eo, qui domum suam stupri causa prebuit, quod caput legis Juliæ sic effert Papinianus a): Qui domum suam, ut stuprum adulterium cum aliena matrefamilias vel cum masculo fieret, sciens præbuerit, cuiuscunque sit conditionis, quasi adulterio punitur. Sed præter hoc etiam ad alia capita Ulpianus respexit, quia provocat ad casus alios similes. Indicat hæc Triphonius b), docens, legem Julianam pro adulterio etiam punivisse, si adulterii damnata sciens quis uxorem duxerit, & eum, qui pro comperto stupro, haec ne deprehensos in adulterio stuprove prodat, pretium acceperit: Et de his casibus Ulpianum Glossa, eamque forte secutus Brissonius c) exponunt.

a) l. 8. ff. ad L. Jul. de adult. ad cuius explicationem facit l. 9 & 10. ff. eod.

b) l. 37. §. 1. versic. Dixi ff. de minor. c) ad L. Jul. de adult. p. m. 107.

§ 30. Jam quid de incestu dicemus? Annon & ad hunc Ulpianus in verbis: & alti similes, respexit? Ita senserunt Farinacius a) & Guazzinus b), qui inter crima, lege Julia de adulteriis coercita, etiam incestum recenserent. Facit pro hac sententia, quod non solum communiter Doctores in expositione tituli digestorum ad legem Julianam de adulteriis simul explicent incestum, sed quod Ludwell c) afferat, lege Julia de adulteriis omnem illicitum coitum coerceri, qui legibus prohibetur & punitur; item Schuzius d) profiteatur: lege Julia agi de omnibus delictis carnis. Quid quod nullum amplius appareat remanere dubium, cum incestus vel stupri vel adulterii species esse videatur. Pro stupro facit, quod Schardius e) scribit: Stuprum dividitur in stuprum specificum, adulterium & incestum. Pro adulterio videatur pugnare Huberus f), dum ait: incestum sive per stuprum sive per matrimonium admisum poena adulterii affici.

a) d. q. 10. n. 15. b) d. def. 2. c. 2. n. 46. c) Exerc. ult. ad Instit. lib. 4.

d) in compend. juris ad L. Jul. de adult. init. e) in Lexico Juris voce stuprum. f) in posit. ad Instit. de publ. judic. posit. 22.

§. 31. Sed quemadmodum communis error alias non facit jus, ita nos non patiemur nobis hic imponi autoritatibus Doctorum, fundamento legum vel rationum destitutis. Nam quas leges adducit a) Schärdius, probant saltem stuprum in lata acceptance comrehendere adulterium. De incestu nihil probant. Quod vero Huberus dicebat, incestum ut adulterium puniri, id quoad incestum, qui per matrimonium fit, ex textu quidem Papiniani b), ad quem provocat, etiam non probatur; & contrarium verius esse patebit ex mox dicendis. Et quid verbis opus est? Sane nihil apertius potest esse affato Ulpiani alio: c) Incestu, inquit, ut Papinianus respondit & est rescriptum, servorum tormenta cessant, quia & lex Julia cessat de adulteriis.

a) scil. l. inter liberas & l. si adulterium ff. ad l. Jul. de adult. b) l. 38 pr.  
eod. c) l. 4 ff. de questionibus.

§. 32. Quæ verba Ulpiani cum perspicue afferant, legem Julianam de adulteriis non coercuisse incestum, magnus oriebatur nobis scrupulus, qui evenerit, ut juris interpretes, ulla destituti ratione, contrarium afferere fuerint ausi: Non sine causa suspicabamur Glossam, quæ uti fere omnium errorum, in expositione juris occurrentium, mater est (cum JCti antiquiores cœco impetu expositionem Glossæ quam magis venerabantur ac leges ipsas, fuerint secuti, ex novioribus vero pauci invisam istam industriam, errores communes nimium radicatos evelendi adhibeant) ita & hanc erroneam doctorum de incestu opinionem a Glossa originem sumere non videbatur improbabile. Neque nostra nos fecellit suspicio: Ita enim ad verba Ulpiani, quibus asserebat, in incestu cessare legem Julianam de adulteriis, notavit Glossa: Hoc est verum ex capite adulterii, sed tamen incestus est unus ex capitulis ejus. Et ne frustra hanc explicationem a Glossa doceri putes, provocat insuper ad Tryphoninum a), ac si statuat, incestum alio capite legis Julie prohiberi. Nobis vero apud Tryphoninum hujus sententiaæ nec volam nec vestigium deprehendere licuit. a) d. l. 27. § fin. de minoribus.

§. 33. Quodsi forte pro Glossa id afferre velis, totum Ulpiani locum videri suspectum, quod scilicet afferat: in incestu servorum tormenta cessare, ea que locum habere in criminibus a lege Julia de adulteriis notatis, facebimur, non esse de nihilo, quæ hic

hic objici possunt, & majori industria in iis removendis opus esse, quam in refutanda Glossa. Sane Cicero in defensione Milonis <sup>a)</sup> aperte ait: *De servis nulla questio est in Dominum, nisi de incestu, ut sit in Clodium, & alibi b)*. *De nostrorum etiam prudentissimorum hominum institutis, qui cum de servis in dominos queri noluissent, de incestu tamen & conjuratione, que facta me consule est, querendum putaverunt.* Hic affine est, quod Valerius Maximus <sup>c)</sup>; narrat: *M. Antonium incesti reum fuisse actum, ejusque in judicio accusatores servum in questione perseverantissime postulasse, quod ab eo, cum ad stuprum iret, laternam prelatam contenderent.* Et hoc etiam forte respexit Livius, dum Minutiam Vestalem in testi accusatam decreto pontificum iussam esse sacris abstinere familiamque in potestate habere docet, hoc est, ut Wilhelmus Godolevæus <sup>d)</sup> notat, ne servos manumitteret, cum pontifices eos ad confitendam veritatem tormentis cogi volentes metuerent, ne Minutia servos, a quibus prodi posset, manumitteret. Jam quod legem Julianam de adulteriis attinet, Ammianus Marcellinus <sup>e)</sup> memorat, in stupri questione mancipia in Domini caput torqueri vetuisse clementissimas leges.

<sup>a)</sup> p. m. 554. Sect. 22. <sup>b)</sup> in partitionibus. <sup>c)</sup> lib. 6. cap. 8. hist. 1. <sup>d)</sup> in not. add. 1. Livii p. m. 153. <sup>e)</sup> Hist. lib. 28 p. m. 391.

S. 34. Sed defendi poterit Ulpianus ab iis objectionibus. Nam ad ea, quæ de incestu allata sunt, respondebimus, distinguenda esse tempora. Ante legem Julianam incestus causa servos in Domini caput questioni fuisse subjectos, eoque locum Ciceronis & exempla Valerii & Livii esse referenda. At legem Julianam in adulteriis causa servorum adversus dominos questionem introduisse, & ita incestus crimen, quod ea lege comprehensum non erat, ex ea quoque legis severitate evolasse <sup>a)</sup>. Vel etiam dici potest: ante legem Julianam etsi de adulterio aut stupro ageretur, servos non solere in dominos audiri, sed neque si de incestu, nisi publica sacra ceremoniaque violata diceretur, ut in Antonio & in Cladio. Nam quod alio loco Valerius <sup>b)</sup> ait: *M. Antonium incesti hujus postulatum esse apud L. Cassium Prætorem, hoc manifeste indicat tum fuisse postulatum, cum rogante Sexto Peducio Tribuno plebis creatus est Prætor L. Cassius, ut post L. Metellum Pontificem Maximum de incestu cum vestaliibus Licinia & Martia <sup>c)</sup> recognosceret.* Porro Augustum questionem de Servia admisisse in adulterio, in incestu, cui nihil aliud

conjunctum est, non admisissé, non quod adulterium sit gravius crimen, sed quia tale delictum vix sine servorum ministerio committitur: incestum, ut soli sint, qui natura conjuncti sunt, nemo præsumserit d). Igitur secundum hanc responsonem in allatis exemplis incestus sumeretur de concubito cum personis DEO dicatis, de quo jam non quærimus, nec de eo Ulpianus loquitur. Cæterum quod locum Ciceronis & exemplum Clodii attinet, posses etiam dicere. Ciceronem per incestum ibidem ipsum adulterium intelligere. Quemadmodum etiam in latissima significatione incestus dicitur crimen, quod committitur cum ea, cum qua illicitum alioqui matrimonium fuisset. Ita notum est, Ciceronem vocibus incestus, adulterii & stupri uti promiscue e). Constat autem Clodio præter alia crimina etiam adulterium fuisse objectum f). Atque hauc responsonem video etiam placere Tabori g), ac, quem hic citat, Cujacio.

a) Briffon ad L. Jul. de adult. p. m. 134. b) lib. 3. c. 7. exempl 9. c) conf. Freinsheim supplem. in Liv. lib. 63. c. 5 sqq. d) vid. Ærod. rer. Judic. lib. 8. tit. 2. c. 7. e) vid. Schardii Lexic. Juris voce Incestus. f) conf. Ærod. d. l lib. 6. tit. 1. c. 32. g) de tortura c. 5. §. 22.

§. 35. Quod autem Ammianus Marcellinus sit, in stupri questione leges noluisse servos in caput Domini torqueri adeo Ulpiano non contradicit, ut potius cum eo amice conspiret. Concedit Ulpianus in criminè adulterii servum torqueri, negat id Marcellinus in criminè stupri. Utrumque recte. Utramque enim sententiam inculcat Papinianus a), ut adeo & secundum hanc distinctionem intelligi debeant constitutio Severi atque Antonini b), & doctrina Marciani c), quamvis alias lex Julia stupri ac adulterii voce promiscue utatur d). Nec igitur opus habemus, Ammianum cum Ærodio e) exponere de temporibus ante legem Julianam, aut Friderici Lindenbrogii censuram nostram facere ad Ammiani sententiam illud notantis f). Mirum hoc quidem & verba legis expresse aliud statuunt g). Sed cum Ammiano facit Tullius in oratione pro Milone: De servis nulla lege questio est in Dominum nisi de incestu: quæ verba in mente habuisse Marcellinum vero simile est.

a) l. 17. pr. & §. 1 ff. de quest. b) l. 1. C. eod. c) l. 5 ff. eod. d) l. 6. §. 1 ff. ad L. Jul. de adult. e) d. l. 8. tit. 2. cap. 7. f) in observatione ad

*ad d. l. Marcellini p. m. 181. g) d. l. 5. ff de quest. d. loc. 1. C. cod.*

§. 36. Manet igitur verum, quod Ulpianus dixit, incestum lege Julia non fuisse notatum, & exinde jam constabit etiam, utrum incestus in se & absque concursu cum crimine stupri quinquennio aut vicennio præscribatur? (Est enim incestus conjunctio illegitima cum personis, quæ vel ratione consanguinitatis vel affinitatis ratione sunt prohibitæ, facta vel affectione conjugali vel absque ea.) Farinacius *a)*, & ex eo Guazzinus *b)*, incestum solum absque adulterio quinquennio præscribi afferunt, quoniam nimirum statuunt, incestum lege Julia fuisse prohibitum, iisque rationem, cur incestus cum adulterio conjunctus vicennio præscribatur, eam afferunt, quod duplicatum hic sit delictum, ex qua sententia sequeretur, si quis v. g. adulterium commiserit & stuprum, quod & hic vicennium ad præscriptionem requiratur, quod tamen nolim afferere. Verius est quod statuit Antonius Matthæi *c)* & Decianum defendere narrat Guazzinus *d)*, ac ita in praxi Saxonica receptum est *e)* incestum etiam solum vicennio præscribi tanquam delictum a lege Julia alienum, & simul hanc rationem genuinam esse, quod adulterium, cui incestus conjunctus est, non præscribatur quinquennio.

*a) d. q. 10. n. 15. & 19. b) d. defens. 2. c. 2. n. 46. c) de crim. lib. 48. tit. 3. c. 6. n. ult. d) d. l. n. 48. e) vid. Carpz. Prax. Crim. q. 141. n. 49. & quos citat. Lauterb. d. disp. tb. 15. in fin.*

§. 37. Jure Electorali Saxonico præscriptio quinquennii in adulterio duplicato locum non habet *a)*, sed tunc ad vicennalem recurrentum *b)*. An vero etiam respectu simplicis adulterii hoc jure quinquennale tempus abrogatum sit, olim Doctores & judicia Saxonica dissenserunt, quibusdam constitutionem Electoralem etiam ad adulterium simplex extendere volentibus *c)*. Sed postquam Serenissimus in novissimis decisionibus *d)*, istam litem sustulit & sententiam Dominorum Scabinorum jam ante firmioribus rationibus nixam confirmavit, præscriptionem quinquennalem in simplici adulterio admittentium, a prolixiori hujus questionis disceptatione tanquam frustranea merito abstineamus. *a) propter Confit. 14. Part 4. b) Wesenb. in addit. ad Schneide-*

*win Inst. de usuc. tit. de Spec. præscript. n. 50. c) vid. Finckelthuf obs. 6. Lauterb. d. disp. tb. 21. Dn. Schilter. ad ff. ad L. Jul. de adult. Exerc. 49 tb 89. d) decis. 84.*

§.38. Cur vero legislatores Romani præscriptorum criminum vicennale tempus præfiniverint, ad easpectat, quorum ratio reddi nequit <sup>a)</sup>. Idem sentiendum esse arbitror, cur brevis tempus criminibus lege Julia notatis concesserint. Posset enim difficultas in criminibus generale præscriptionis criminalis fundamentum est, sua sponte videtur fluere, citius vicinio absolvit debere præscriptionem in ejusmodi delictis clandestinis, in quibus major probandi difficultas deprehenditur, citiusque probandi media evanescunt. Ac videtur præterea hæc que sèpissime, si non semper, remotis perpetrantur arbitris, & difficillime, ut ex processu criminali notum est, probantur, sed & peculatu, qui & ipse quinquennio præscribitur <sup>c)</sup>, nam & hic quasi species furti est, adeoque clandestinitatem præsupponit <sup>d)</sup>. Quin & applicari poterit ista ratio ad accusationem ex Senatus Consulto Silanianō de apertis tabulis, cui etiam quinquennium præfinitum est <sup>e)</sup>, quoniam apertura testamenti clanculum fieri potest. <sup>a) vid. Lauterb. d. disp. th. 14. b) § 4. c) l. 7. ad L. Jul. peculat. d) arg. l. 1. l. 4. pr. ff eod. e) l. 13 ad SCium Silanianum.</sup>

§.39. Qodsi tamen penitus paulo rem perpendas, ratio ista indulti in quibusdam criminibus quinquennii pro genuina vix haberi poterit. Quippe jam supra <sup>a)</sup> affirmavimus, præscriptionem vicennalem etiam in criminibus occultis locum habere. Neque præterea illud urgebo, quod pleraque delicta reliqua, præprimis que ex præmeditata præteriti orientur, clam committentur, quodque adulterium & stuprum aliquando satis aperte patentur, adeoque secundum opinionem istam sequetur, in delictis etiam reliquis clanculum commissis præscriptiōnem quinquennalem, id adulterio vero & stupro quandoque vicennalem præscriptionem locum inventuram, quod absurdum. Sane quod Senatusconsultum Silanianum concernit, et si apertura testamenti clam fiat, poterit tamen, quoniam est delictum facti permanentis, facile probari. Et non solum ille punitur SCro, qui tabulas aperit, sed & qui hereditatis aditione, que facto satis conspicuo contingit, notam ejus incurrit <sup>b)</sup>. Porro si peculator seu furtum pecunie publicæ ob clandestinitatem præ-

præscriberetur quinquennio, cur non & furtum rerum privata-  
rum, cuius contrarium tamen etiam adstruximus superius c). Denique si adulterio quinquennium ex ista ratione effet præfi-  
nitum, multo magis incestus, qui difficilius probatur d), quin-  
quennio foret excludendus, neque conjunctus cum adulterio  
hoc crimen perpetuaret.

a) §. 14. b) l. 3 §. 2. ad SCt. Silan. c) §. 13. d) vid. §. 35.

§ 40. Restat, ut videamus, quid operetur præscriptio crimi-  
num? Liberat videlicet delinquentes plenissime tam ab accu-  
satione, quam ab inquisitione judicis quod posterius prolixius  
deduxit Lauterbach a), in tantum ut ipse Farinacius b) afferat,  
judicem, qui post lapsum præfixi temporis præscribentem con-  
demnat, non tantum male & inique agere, sed & ultimo suppli-  
cio plectendum esse, si scilicet eodem afficerit præscriptione li-  
beratum. a) disp. tb 11. § 24. b) d q 10 n. 2.

§. 41. In eo autem non convenient Doctores: Utrum ju-  
dex, si reus non comparuerit, aut exceptionem præscriptionis  
non opposuerit, eam ex officio supplere teneatur. Faricacius a)  
plures alios fecutus putat, hoc interesse inter eum, qui non deli-  
quit, & illum, qui præscriptione liberatus est, quod ille absens &  
contumax non possit condemnari, hic possit, ut & iste, qui exce-  
ptionem præscriptionis non opposuit. Contrariam sententiam  
veriorem esse dicit Guazzinus b), cuius opinioni & nos accedi-  
mus c), tanquam argumentis legum d) magis convenienti & a Se-  
ren. Saxonie Electore approbatæ e). a) d. q 10. 35. sqq. b) d.

defens. 2. c. 2. n. 14. seqq. c) cum Lauterb. d. tb. 25. Carpz. p. 1. Const. 25.  
def. 3. & Prax. Crim. q 141. n. 36. d) arg. l. 1. §. generaliter ff. de legas  
præstand l. 8 de publ in rem att junct. l. 19. de pen. l. 1. l. 18. §. 9. de quest.  
§ l. 6. de appellat. e) d part. 1. const. 25. Carpz. dd. ll.

§. 42. Etsi itaque præscriptio criminum ab omni inquisi-  
tione & accusatione liberet, non tamen liberata poena directo,  
quod jam supra a) ostendimus. Dicimus directo. Nam per con-  
sequentiam etiam quis liberatur a poena, quatenus in delictum  
non amplius inquiritur. Et ita intelligo Lauterbachium b), dum  
sit: elapsa legitimo præscriptionis tempore, reos ab omni poena  
liberari, & Carpzovium c) tradentem: adulterii reum præscri-  
ptione quinquennii non solum ab ordinario suppicio, sed & ab

extra-

extraordinaria poena liberari. Nam ipse Lauterbachius d) fate-  
tur, hanc præscriptionem esse saltem poenarum inferendarum,  
præscriptionem, si accusator ante præscriptionem completam  
libellum accusationis porrexerit, aut Magistratus ex officio in-  
quisitionem formaverit. Tunc enim in criminalibus dici præ-  
scriptionem interruptam, idque ex communi Doctorum fenten-  
tia extendit Farinacius f), etiamsi nulla citatio sit emissa, in eo e-  
tamen non sine ratione quis adhuc dubitare posset, preprimis  
cum Guazzinus g) contrariam sententiam dicat esse magis com-  
munem. Multo magis vero procedet ista sententia, si reus jam  
fuerit condemnatus, & postea aufugerit, aut contra absensem  
inquisitio fuerit instituta, isque propter contumaciam fuerit  
proscriptus b). a) I. 4. in fin. & §. 6. b) tb 24. c) Prax. Crim.  
q. 59 n. 7. d) tb. 26. e) qu. 141. n. 53. f) d. q. 10. n. 28. g) d. def. 2.  
c. 2. n. 91. b) Farinacius & Carpz. dd. ll.

§ 43. Quid si vero delinquens statim delicto commisso  
fuga sibi consuluerit, & magistratus durante vicennio inquisicio-  
nem non formaverit? Et tunc præterlapsa vicennio reum ni-  
hilominus condemnari posse cum Carpzovio a) statuit Lauterb.  
b), quoniam nimurum per Magistratum non stetit, quod inquisi-  
tio non fuerit formata, nec reus condemnatus, sed ipsius culpa  
& fuga moram invexerit, quæ a poena ipsum neutquam liberere  
possit; aliter enim si diceretur, absentibus occasionem præberi  
liberrimam poenam effugiendi. Eadem haud dubie ex istorum  
dictorum sententia applicari debent ad eum casum, si quis fuga  
sibi ab initio consulens post vicennium a concive accusetur.  
Nobis autem concedenda quidem videtur hæc assertio in eo ca-  
su; si quis contra fugientem processum, vel inquisitorium, vel  
accusatorium formare incepit, quamvis eundem ad senten-  
tiæ usque non fuerit prosecutus. Et de hoc casu etiam puto  
etum. At si nulla plane accusatio aut inquisitio fuerit instituta,  
rationes Carpzovii ejus sententiam non persuadent. Cum e-  
nim etiam absente reo accusatio & inquisitio institui possit, o-  
mnino quod istam institutionem omiserint, per accusatorem &  
Magi-

Magistratum stetit, neque adeo admissa sententia contraria occasio dabitur liberrima fugientibus, ut poenam evadant.

a) d q. 141. 56. b) d thef. 26.

§ 44. Ex dictis etiam non difficile erit respondere ad quæstionem aliam huc spectantem. An scil. rei confessio præscriptioni sit contraria? hoc est, an reus, si post viginti annos coram judice sponte nec tormentis nec squalore carceris coactus, nullaque promissione vel comminatione inductus specifice, id est, delictum cum omnibus suis qualitatibus rotunde, clare, & constantiter fuerit confessus, non obstante hac 20. annorum præscriptione puniri possit. Communiter negant Doctores quæstionem, etiamsi delictum sit notorium a), quæ opinio & nobis arredit, non equidem quod sit communis aut ex testimonio Farinacii verior (huic enim non infrequens est in decisione controversiarum, si rationibus destituatur, sequenti formula demonstrandi uti: *tu crede, quia est pura veritas,*) sed quod præscriptio ipso jure crimen tollat, quorsum spectant phrasæ, quibus leges in circumscribenda præscriptione utuntur b), quodque omnis controversia & causæ cognitionis super crimine quiescere debeant. Jam vero etiamsi crimen sit notorium, etiamsi reus id distincte confiteatur, causæ cognitione tamen erit opus c), unde frustra urgent dissentientes d), quod confessio sit optima nobilissima & omnium probationum regina, quodque non facile crimen quis confiteri ducatur, cuius reus non sit. Nam ut a posteriori ratione incipiamus, continet ea præsumptionem non juris e), sed hominis, quæ hic non consideratur, adeoque falsa est etiam prior assertio, cum ita regula de confessione vim probationis habente procedat tantum in civilibus. Deinde posito quod & in criminalibus confessio probatio optima, sufficiet tamen nobis, quod probatio hæc causæ cognitionem requirat, quam hic vetant leges.

a) vid. Farinac. d. q. 10 n. 14. Guazzin d c 2 n 17. seq. Carpzov.

P. 1. Constat. 25. Def. 3. Lauterb. th 26. b) vid supra §. 6. c) l. 1 §. 17.

& 28. de confess. d) ap. Lauterb. d th. 26. e) arg. l. 1 §. 17. & 27.

§. 45. Neque adeo opus habemus in media sententia B. Lauterbachii refugium querere, qui in hac opinionum diversitate multum prudentis & æqui judicis arbitrio relinquendum & distinguendum esse putat a), an præter confessionem aliunde quo-

que de delicto & ejus qualitatibus certo constet, an vero nullæ aliæ adsint probationes, quæ religionem judicis satis instruere possint. Priori in casu haud aberraturum esse judicem, si in criminibus jure naturali prohibitis posteriorem sequatur sententiam b), quæ statuit, punire posse judicem etiam præterlapsi viennio. Unde etiam judicio Tessauri Senatum Pedemontanum, qui reum post 25. annos a notorio, absolvit homicidio, melius fecisse c), si ipsum in aliquam poenam condemnasset. Hinc & Guzzinum addere, tutius d) esse reo quoad poenam scil. temporalem evitandam, si delictum præscriptum non fateatur. Posteriori vero casu sententiæ communi inherendum videri. Eo magis vero confirmamur, ut istam Lauterbachii distinctionem hic non putemus esse necessariam, quod videmus etiam eadem abstinuisse Dominos Scabinos in præjudiciis a Carpzovio e) re-censitis. a) d. tb. 2. b) arg. l. i. §. 17. ff. de quest. Sed nego hic conse-quentiam, quam ex ista lege Lauterbachius pro sua opinione necdere vult.

Taceo, quod illa quidem lex inter criminajure naturali prohibita & alia omnino non distinguat. e) imo in eo potius peccavit iste Senatus, quod in crimen hoc notorio non ante elapsum tanti temporis spatium processum formaverit delinquenti, vel si hic forte fuga sibi consuluit, quod non saltem inquisitionem inservierit, vid. supra §. 44. d) sed non statim quod minus tutum est in praxi, id quoque minus verum erit. e) Prax. Crim qu. 141. n. 42. & 69 verbis: Wenn ihr nun gleich dessen geständig, oder mit Recht übersühret werden möchtet.

§. 46. His præmissis absque ulteriori mora ea, quæ hactenus diximus, ad quæstionem propositam, quo tempore crimen bigamie prescribatur? erunt applicanda. Ac quidem initio, ex communi interpretum sententia dicendum videbatur? I Nullo tempore praescribi bigamiam, cum supra a) fuerit ostensum, atrociora quædam delicta eximi a præscriptione. Et sane si istam opinionem admittamus, quæ inter delicta atrociora referebat etiam crimen suppositi partus, falsæ monetæ, concussionis & abortus &c. nulla ratio afferri poterit, cur non & bigamia eo referenda sit, quæ istis delictis si non praferri debeat, certe tamen cum iisdem pari passu ambulet. Sed quoniam simul prolixè ibidem b) ostendimus, istam sententiam ex male intellectis quibusdam juris Justinianei textibus ortum sumpvisse, sublato fundamento etiam, hæc assertio de præscriptione bigamie corrut.

a) §. 18. seqq. b) §. 19. seqq.

§. 47.

§. 47. Igitur pergamus ad regulam de præscriptione criminum, ex qua forte poterit responderi. II. Bigamiam præscribi vicennio, præprinvis cum hæc assertio variis suffulta sit rationibus. Nam (1) bigamia in jure Justinianeo nusquam a regula legitur fuisse excepta, tamdiu autem regula standum est, donee exceptio doceatur. (2) In dissertatione priori *a)* ostensum fuit, crimen bigamiæ esse gravius adulterio vulgari, ac ita etiam appellari diserte in constitutione Carolina. Igitur præscriptio quinquennii in adulterio recepta non debet extendi ad crimen bigamiæ cum exceptiones sint stricti juris, adeoque stricte explicandæ. (3) Accedit, quod ipsum jus Romanum adulterium secundum regulam præscribi voluerit, si concurrat cum bigamia, quæ non minus delictum est, ac incestus. (4) In specie, quod jus Saxonum Electorale attinet, idem dicendum erit, quoniam hoc etiam adulterium duplicatum a præscriptione quinquennali exemit, cur non igitur & bigamia censi debeat exenta, cum & hæc æque gravis esse videatur adulterium ac duplicatum.

*a) §. 56. seqq. b) vid. supra §. 29. & 37.*

§. 48. His tamen non obstantibus, regulis bonæ interpretationis nobis convenientior videtur sententia. III. Bigamia crimen præscribitur quinquennio, ob unicam rationem quam sufficientem esse arbitramur, quod omnia delicta, quæ lege Julia de adulteriis fuerunt vetita, quinquennio *a)* in specie præscribantur, adulterium & stuprum *b)*. Jam vero late ostendimus bigamiam ex hypothesi juris Romani esse speciem partim adulterii partim stupri *c)*, ex hypothesi vero juris moderni *d)*, esse semper adulterii speciem. Quæ igitur de genere prædicatur præscriptio quinquennii, eadem & de omnibus speciebus, quæ non expresse sunt exceptæ, qualis non est bigamia prædicari debet.

*a) vid. supra §. 25. seqq. b) vid. §. 26. & 27. c) vid. Disp. priorem §. 63. seqq. d) dicta dissert. priore §. 56 seqq.*

§. 49. Declaramus vero sententiam nostram, quod quinquennium hoc computari debeat non a tempore bigamiæ contractæ, sed a tempore, quo eodem finita est. Est enim bigamia ejusmodi delictum, quod continuatur tractu temporis & iteratur. Si enim semel quis conjugi superstitioni aliam conjugem per conjunctionem carnalem superiaduxerit, perpetuo quamdiu cum hac posteriori manet, bigamia continuatur, etiam eo tempore, quo non frequentat conjunctionem carnis. Nam quemadmodum dominium a possessione, possessio a retentione corporali quidem incipit sed nihilominus dominium etiam sine possessione, possessio sine actu corporali

## 76 DE PRÆSCRIPTIONE BIGAMIAE.

porali continuatur solo animo; ita & bigamia quidem ad sui essentiam conjunctionem carnis requirit, qua semel facta etiam sine eadem subsistit. Quodsi insuper conjunctio carnis a bigamo vel bigama frequentetur, multiplicatur quoque si non bigamia, certe adulterium bigamicum. Jam autem supra a) ostendimus, in criminibus continuatis & iteratis præscriptionis initium currere a tempore finiti vel a tempore ultimi delicti. a) §. 15.

§. 50. Quodsi quereras ulterius: quo tempore bigamiae crimen finitum esse censeatur? respondebimus: id variis modis posse contingere. 1) Morte bigami, 2) morte conjugis prioris, 3) morte conjugis posterioris, cum qua bigamia fuit commissa, 4) matrimonio cum priore conjugi juste, hoc est, judicialiter soluto, 5) denique ab eo tempore, quo certo demonstrare potest bigamus, se ab altera conjugi, cum qua bigamiam commiserat, seria poenitentia ductum revera separasse. Ac prioris quidem tres modi nullum habebunt dubium, de quarto vero & quinto adhuc pauca moneri debent.

§. 51. Diximus, bigamiam finiri, si matrimonium prius judicialiter fuerit solutum. Finge Cajum dereliquisse uxorem suam & alibi cum Mevia contraxisse nuptias. Octennio elapso, uxor prior Caji impetrat a judice suo, ut propter malitiosam desertionem & adulterium bigamicum Caji ab ipso liberetur, & prius istud matrimonium dissolvatur. Puto, hic a tempore dissolutionis quinquennium currere, nec post illud elapsum adversus Cajum de bigamia inquire posse, etiamsi vivat adhuc ejusprima uxor etiamsi vivat & altera. Quoniam per divortium ex capite adulterii solvit non solum vinculum respectu innocentis, sed & respectu nocentis, ac huic quoque ad secunda vota transire permittitur a). Igitur ab hoc tempore conjugium illud secundum Caji non amplius pro bigamia haberet.

a) Carpz. Jurispr. Ecclesi. l. 2. def. 19t.

§. 52. Aliam rationem esse puto, si pars innocens absque sententia judiciali per solam bigamiam partis nocentis se liberatam forte putans & ipso aliā conjugem sibi querat. Finge: Caja maritum suum Titium deserit & Sempronio nubit, cumque hoc per decennium in bigamia vivit, decennio elapso, Cagus privata autoritate dicit Meviam. Hic Caja præscriptionem allegare non poterit, etiamsi post illud primum decennio vitam conjugalem adhuc per quinquennium cum Sempronio continuaverit. Nec obstat, si urgeas, quod ex communi brocardico adulterium solvat conjugium ipso jure, adeoque videatur vinculum inter Cajam & Titium statim esse solutum, postquam Titius Meviam duxit, quia hoc ipso Titius etiam

com-

commisit adulterium. Petemus enim hic, ut prius nobis respondeas, cur non obstante isto brocardico Titius a Caja relictus & Meviæ se jungens adulterium & bigamiam cum Mevia incurrat, cum tamen Caja nubendo Sempronio jam adulterium commiserit, & ita ipso jure vinculum inter eam & Titum secundum istud brocardicum videatur esse ruptum. Quamcumque responsum nobis dederis, eadem etiam utemur adversus te.

§. 53. Diximus porro, finiri bigamiam, si bigamus se ab altera conjugie, cum qua bigamiam commiserat, pœnitentia ductus revera separaverit. Quamdiu enim ista separatio non sit, manet & continuatur bigamia, ut modo declaravimus solo animo, etiam si non continetur conjunctio carnalis. Ast separatione facta, cum & conjunctio corporis & animi cesseret, cessabat etiam bigamia, non aliter ac possessio & dominium deficiunt, si animo & actu corporeo eadem derelinquamus. Voco autem hic separationem realem, quando non solum conjunctionem carnis omittit bigamus, sed & insuper affectionem maritalem deponit. Præterea & illud noto, in dubio præsumptionem esse contra bigamum, quoniam separatio ista facta est, adeoque a bigamo probari debet. Probabitur autem v. g. si bigamus & altera ejus uxor coram Notario declarant, quod in posterum a se invicem abstinere ac matrimonium bigamicum pro nullo habere velint, si que post hanc declarationem etiam separatim habitent, ac nulla suspicione iterata de novo turpis consuetudinis graventur.

§ 54. At inquires, cur non & in matrimonio isto secundo requiris, ut per sententiam judicialem solutio fiat, sed bigamo concedis privata autoritate separare, cum tamen in præcedenti casu assueris, bigamiam non tolli, etiamsi pars innocens privata autoritate aliam duxerit. Sed respondebimus, hic esse disparitatis rationem. Nam prius istud conjugium non ab initio erat nullum sed juste contractum. At conjugium posterius bigamicum ipso jure nullum est, ac propterea declaratione judiciali haud est opus. Quod si instes, conjugium, cum marito impotente contractum, etiam ipso jure nullum esse, tamen hic privata autoritate separationem institui non posse, sed ex doctrina Carpzovii *a*), sententia judiciali esse opus, eaque non impetrata, ab uxore adulterium committi, regeram sententiam istam certe ex hypothesi juris Romani variis rationibus impugnari, ostendique facile posse, uxorem istam, si ante judicialem separationem fornicetur, pro adultera non esse habendam *b*), ac præterea quoad mores nostros Carpzovium de eo casu esse intelligendum, ubi nullitas est dubia, quæ causæ cognitione habet opus, utrum impotentia mariti sit curabilis, an minus. Inde non

arbitror, moribus nostris dissolutione judiciali opus esse, si v. g. de facto nuptiæ cum eo, qui notorie eunuchus est, sint celebratæ, aut si incestæ nuptiæ, quæ & ipsæ matrimonium nullum reddunt, fuerint contractæ c) sed & hic crimen finiri statuimus, si partes privata autoritate se separant.

a) Jurispr. Eccles. lib. 2 def. 200. b) arg. l. 13. §. 4. & 6. ad L. Jul. de adult.

Quamvis enim in d. l. 13. concedatur marito, uxorem adulterii accusare jure extranei, tamen si accurate loqui voluimus, ista accusatio jure extranei facta in hoc casu non fuit de adulterio, sed de stupro, quod lege Julia æquali pœna cum adulterio fuit punitur, unde & lex stuprum ac adulterium promiscue usurpavit. Quod hodie secuū est. c) Facit arg. l. 38. §. 6 ff. ad L. Jul. de adult.

§. 55. Limito vero assertionem meam de præscriptione quinquenniali bigamiæ eo casu, ut non procedat de jure Saxonico Electorali, si uterque secundas nuptias ineuntium sit bigamus; hoc est; si alterius uxoris maritus cum uxore alterius mariti bigamiam contrahat, quia hæc bigamia est species adulterii duplicati, in quo quinquennii præscriptionem serenisimus admittere noluit a). a) vid supra §. 38.

§. 56. Restat, ut paucis respondeamus arguientis, quæ pro secunda sententia, quod bigamia vicennio præscribi debeat, afferebantur. Quod igitur 1) concernit: bigamiam a regula non esse exceptam, fatemur equidem verbis conceptis in jure non haberi, quod bigamia quinquennio præscribi debeat. Sed sufficit nobis, quod adulterium a regula exceptum sit, bigamia vero sit species adulterii.

§. 57. Et quamvis 2) bigamia gravius delictum adulterio in constitutione Carolina appelletur, supra a) tamen late probavimus, intelligi tantum gravissimam speciem adulterii, non crimen ab adulterii genere diversum. Itaque cum Ictus velit, omnia delicta lege Julia notata præscribi quinquennio, neque inter vulgaria & atrocia distinguat, nec nostrum erit distinguere, adeoque nos exceptionem a regula ad aliud crimen, quod lege Julia comprehendsum non erat, nequaquam extendimus. Supra b) simul jam occurrimus exceptioni, si quis eam differentiam inter bigamiam & delicta lege Julia vetita afferre velit, quod in his quinquenniis fuerit præsinitum, tanquam in criminibus occultis, & difficillimæ probationis, bigamie crimen contra plerumque contrahi publice & in conspectu totius ecclesiæ, adeoque cessante ratione quinquennii indulti cessare etiam ipsum quinquennium, nam deduximus istam rationem pro genuina habendam non esse. a) Disp. priore §. 56 seqq. b) §. 39. 40.

§. 58.

§. 58. Argumentum ab incestu ad bigamiam admittere non possumus, tum quoniam incestus & bigamia sunt crimina diversa, ac propterea quæ de incestu per modum exceptionis a dispositione legis Juliae afferuntur, ad delictum diversum extendi non debent, quia exceptio exceptionis etiam exceptio est, adeoque ex adversariorum sententia stricti juris, atque extensionis incapax; tum quia & insuper ea adest rationis disparitas: Incestus in se diversum crimen ab adulterio & stupro erat, lege Julia haud notatum a): committitur enim & per incestas nuptias absque adulterio aut stupro b). Sed bigamia semper adulterium est, aut certe (ex Rosmarii juris hypothesi) quandoque stuprum, semperque adeo ad delicta legis Juliae pertinebit.

a) supra §. 32. seqq. b) vid §. 37.

§. 59. 4) Eadem ad quartum argumentum ex constitutione Electorali, qua adulterium duplicatum a quinquenniis præscriptione removetur, desumptum responderi possunt, scilicet & hic esse argumentationem a diversis, si neope inde ad quamvis bigamiam velis argumentari a). Nec juvabit, si afferas, bigamiam omnem in eo convenire cum adulterio duplicito, quod nec hæc possit remitti propter intercessionem conjugis b), cum in adulterio simplici intercessio alias admittatur. Nam recurret eadem responsio, argumentum a diversis desumi, cum aliud sit remissio pœnae, aliud præscriptio ab actione criminali.

a) conf. §. 56. b) vid disþ. prior. tib penult. in fin.

§. 60. Atque hæc sunt, quæ de præscriptione bigamia dicenda habuimus. Quodsi rem acu tetigimus, erit, quod nobis gratulemur, si minus, veniam nos impetraturos considerimus, cum neminem Doctorum nobis evolvere, aut invenire licuerit, qui quæstionem hanc spinosam tractasset, si paucissima excipere velis, quæ hac de re scripta reliquit Magnificus Dominus Schilterus, ex eius perfectione fatemur nos ansam sumissæ disputationem præsentem conscribendi. Idem Dn. Schilterus subjicit postea rationes decidendi Dn. Scabinorum Lipsiensium, quas Serenissimo Electori dederunt super responso quodam in quo sc̄minæ, quæ ultraviginti annos bigamiam continuaverat, gladii pœnam dictaverant. Ut vero istas decidendi rationes paulo prolixiores ex Dn. Schiltero huc transcribere nolamus, ita non pigebit tamen ad meliorē dictarum rationum decidendi intellectum responsa illa, ad quæ rationes decidendi se referunt, a Dn. Schiltero omissa, nobis vero benevolè communicata, coronidis loco apponere. Primum conceptum fuit Weissenfelsam versus mense Iunio 1656. ut ipse Dn. Schilterus jam notavit. Werden Chrissing, Peter E


Wittwe


Wittwe, und Georg H. beschuldiget, daß sie Anno 1632. sich mit einander öffentlich copuliren lassen, und ein halb Jahr ehlichen beysammen gewohnet, nach Verfleissung dessen aber, und als sich das Weib schwanger befunden, von ihrem Ehemanne, welcher damals zu Freyburg im Quartier gelegen, Urlaub genommen, und zu ihren Eltern nach Kieritsch gezogen, mit Verprechen, wenn sie des Kindes genesen, und die Sechswochen ausgehalten, wieder zu kommen, so sie aber nicht gethan, sondern hinter ihres ersten Ehemannes Wissen und Willen sich anderweit mit Peter L. verehliget, und denselben in die zwey und zwanzig Jahr ehlich beysgewohnet, und hat gemeldter H. nachdem er erfahren, daß sein Weib unterdeßen einen andern Mann geheyrathet, unangesehen sie ihm nachgezogen, und wieder zu ihm begehret, dieselbe auf Wiederrathen seines Obrist Lieutenants nicht wieder zu sich nehmen wollen, sondern sich endlich, wiewohl zehn ganzer Jahre hernach, auch zu Pernau in der Pfalz mit einer andern verehliget, welches beyde Inquisitio, als sie hierüber vernommen worden, nicht in Abrede seyn können. Ob nun wohl die L. zu ihrer Entschuldigung vorgewendet, daß sie anderthalb Jahr von ihrem ersten Ehemanne verlassen gewesen, ohne rechtliches Erfantniß auch nicht gesändig seyn will, daß sie ihr Ehemann heissen zu ihm kommen, hierbei vorziehet, sie hätte als ein junges Mägdelein von 6 Jahren auf Zurathen ihrer Eltern und des Pfarrers Peter L. geheyrathet, als welche in denen Gedanken gestanden, er wäre nicht mehr am Leben. Dieweil sie aber dennoch ihr Vorgeben durch Zeugen noch sonsten, wie recht, nicht beybracht, und nicht zu Vermuthen, daß sie von ihren Eltern oder dem Pfarrherrn hierzu verleitet worden. So er scheinet hieraus und sonst allenthalben so viel, daß, wenn Inquisitio ihr Bekantniß in guten nochmals richtig nicht thun will, ihr wol besugt, sie dem Scharfrichter zu untergeben x. ic. So viel aber George H. belanget, dieweil sich derselbe, nachdem er erfahren, daß sein Weib an ihm brüchtig worden, bey dem geistlichen Consistorio nicht angemeldet, und von derselben loszehlen lassen, so wird er gestalten Sachen nach, zwey oder drey Jahr lang mit Landesverweisung in Strafe billig genommen. V. R. W. Alterum codem directum M. Julio ejusd. anni. Hat Christina Peter L. Witwe nunmehr in Güte bekannt, daß sie damals, als sie Peter L. geheyrathet, wohl gedacht, daß ihr erster Mann, George H. noch am Leben seyn würde, ingleichen hätten auch ihre Eltern nicht dafür gehalten, daß er tott sey, weil sie zu solcher Heyrath allerdings nicht rathen wollen, und wendet allein ihre damahlige Jugend und grosses Armut vor, indem sie ein Mägdelein von 14 Jahren gewesen, und mit ihren Kindern in dem Kriegs-Wesen sich nicht ernähren könnten, nach mehrern Inhalt der Inquisition-Aeten.

Da nun jetzt gemeldte Inquisitio auf ihren gerhanen Bekantniß für Gericht freywilling verharren, oder des sonsten wie recht überwiesen würde, so möchte sie von wegen selchen begangenen und bekannten Fäters der zweifachen Ehe mit dem Schwerdt vom Leben zum Tode gestraft werden, und mag ohne Ihr. Churfürstl.

Durchl. unsers gnädigsten Herren, gnädigste Bewilligung ihr die Strafe wo-  
der gemildert noch erlassen werden. V. R. W.

F I N I S.





## TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

